FR. FRANCISCUS MONAY, O. M. CONV.
In Basilica Vaticana pro lingua Hungarica Poenitentiarius

SENTENTIAE SERAPHICAE

E VERBIS ET SCRIPTIS

SANCTI P. FRANCISCI ASSISIENSIS

PRO SINGULIS ANNI DIEBUS

DISPOSITAE

ROMAE
—
1928

45
4

FR. FRANCISCUS MONAY, O. M. CONV.
In Basilica Vaticana pro lingua Hungarica Poenitentiarius

SENTENTIAE SERAPHICAE

E VERBIS ET SCRIPTIS

SANCTI P. FRANCISCI ASSISIENSIS

PRO SINGULIS ANNI DIEBUS

DISPOSITAE

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

1928

IMPRIMI PERMITTITUR

Fr. Franciscus Xav. D'Ambrosio
Procurator et Delegatus Generalis

Romae, ad SS. XII Apostolos die 1 Augusti 1928

IMPRIMATUR

† Antonius Maria Jannotta
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

Isola del Liri 1928 — Stab. Tip. A. Macioce & Pisani

SERAPHICI PATRIARCHAE

SANCTI FRANCISCI ASSISIENSIS

SUCCESSORI CX

REVERENDISSIMO PATRI

P. M. ALPHONSO ORLICH

TOTIUS ORDINIS FF. MINORUM CONVENTUALIUM

MINISTRO GENERALI

D. D. D.

Sententiarum Seraphicarum
humilis collector

5259

LECTORI SALUTEM

In libello, quem habes, Lector Humanissime, annus nuper elapsus Franciscalis spiritualiter quodammodo continuatur, nec eumdem conficiendo in votis quidquam habui, nisi, ut anni quoque venturi, seraphici tibi omnes reddantur et fiant. Quotquot igitur sententiae praetiosissimae in operibus Sancti Patris Francisci genuinis (1), *quotquot verba ab ipsomet prolata, maxime perpendenda, in legendis eius, auctoribus Seraphico Doctore sancto Bonaventura* (2), *beatae memoriae Thoma de Celano* (3), *atque fratre Bernardo a Bessa* (4), *omni exceptione maioribus, occurrunt, hic collecta sicque per omnes et singulos anni dies disposita invenies, ut ea attente quotidie legendo, devote considerando, pieque meditando, cor tuum ardoribus seraphicis de die in diem magis liquescat,*

---

(1) *Opuscula S. P. Francisci Assisiensis.* Quaracchi, 1904.

(2) S. BONAVENTURAE, *Legendae duae de vita S. Francisci Seraphici.* Quaracchi, 1897. Nova impressio 1923.

(3) FR. THOMAS DE CELANO, *Vita prima S. Francisci Assisiensis.* Quaracchi, 1926. — P. EDUARDUS ALENCONIENSIS, *S. Francisci Assisiensis vita et miracula auctore Fr. Thoma de Celano.* Romae, 1906. Item: FR. THOMAS DE CELANO, *Vita secunda S. Francisci Assisiensis.* Quaracchi, 1927.

(4) P. HILARIUS A LUCERNA, *Liber de laudibus beati Francisci auctore Fr. Bernardo a Bessa.* Romae, 1897.

magisque anima tua tanti Patris exempla imitandi cupiditate incitetur.

Tolle ergo, lege, ac ut ipsius Seraphici Patris verbis utar: « Rogo et obsecro vos in caritate, « quae Deus est, cum voluntate osculandi pedes « vestros, ut haec odorifera verba cum humilitate « et caritate debeatis recipere et benigne operari « et observare perfecte...

« Et omnes illi et illae, qui ea benigne reci- « piunt et intelligent et mittent aliis in exemplum « si in eis perseveraverint usque in finem, bene- « dicat eis Pater et Filius et Spiritus Sanctus. « Amen (1).

Romae, die anniversaria Canonizationis S. P. Francisci septies centesima, quae est 16 Iulii, 1928.

Fr Franciscus Monay, O. M. Conv.

(1) Ep. I. Opuscula *S. P. Francisci*, pp. 97-98.

EXPLICATIO SIGNORUM

Adm. — Verba Admonitionis I-XXVIII. Opuscula S. P. Francisci, pp. 3-19.

Bessa, 3 — Bernardi a Bessa, Liber de laudibus beati Francisci, cap. 3.

Cel. I. 2. — Thomae de Celano, Vita prima S. Francisci, nr. 2.

Cel. II. 3. — Thomae de Celano, Vita secunda S. Francisci, nr. 3.

De rev. — De reverentia corporis Domini. Opuscula, pp. 22-23.

Ep. — Epistolae I-VI. Opuscula, pp. 87-116.

Laud. — Laudes. Opuscula, pp. 119-125.

Offic. — Officium Passionis Domini. Opuscula, 126-148.

Reg. I. 2. — Regula prima Fratrum Minorum, cap. 2. Opuscula, pp. 27-62.

Reg. II. 3. — Regula secunda Fratrum Minorum, cap. 3. Opuscula, pp. 63-74.

Reg. Sor. — Ex regula sororum S. Clarae. Opuscula, pp. 75-76.

Salut. B. Virg. — Salutatio beatae Virginis. Opuscula p. 123.

Salut. virt. — Salutatio virtutum. Opuscula, pp. 20-21.

S. Bonav. 3, 4. — S. Bonaventurae Legenda S. Francisci, cap. 3. nr. 4.

Testam. — Testamentum S. P. Francisci. Opuscula, pp. 77-82.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI

DIEBUSQUE SEQUENTIBUS

Consummati sunt dies...
Luc. 2, 21

Die 1 Ianuarii. — Tu es sanctus Dominus Deus solus, qui facis mirabilia. Tu es fortis. Tu es magnus. Tu es altissimus. Tu es rex omnipotens, tu Pater sancte, Rex caeli et terrae.

Tu es trinus et unus Dominus Deus, omne bonum. Tu es bonum, omne bonum, summum bonum, Dominus Deus, vivus et verus.

Tu es caritas, amor. Tu es sapientia. Tu es humilitas. Tu es patientia.

Tu es securitas. Tu es quietas. Tu es gaudium et laetitia.

Tu es iustitia et temperantia. Tu es omnia divitia ad sufficientiam.

Tu es pulchritudo. Tu es mansuetudo.

Tu es protector. Tu es custos et defensor. Tu es fortitudo. Tu es refugium. Tu es spes nostra.

Tu es fides nostra. Tu es magna dulcedo nostra. Tu es vita aeterna nostra, magnus et admirabilis Dominus, Deus omnipotens, misericors Salvator. *Laud.*

Die 2 Ianuarii. — Incipiamus, fratres, servire Domino Deo nostro, quia usque nunc parum profecimus. *S. Bonav. 14, 1.*

Die 3 Ianuarii. — In disciplina et obedientia sancta perseverate, et quae promisistis Domino, bono et firmo proposito adimplete. *Ep. II.*

Die 4 Ianuarii. — Rogavi Dominum, fratres, ut mihi ostendere dignaretur quando servus eius sum et quando non servus; nam vellem, nihil aliud quam servus existere suus. Ipse vero benignissimus Dominus sua mihi nunc dignatione respondit: Servum meum tunc te cognosce veraciter, cum sancta cogitas, loqueris, operaris. *Cel. II. 159.*

Die 5 Ianuarii. — Servus Dei sic debet vita et sanctitate in se ardere, ut luce exempli, et lingua conversationis omnes impios reprehendat. *Cel. II. 103.*

Sanctissimi Nominis Iesu. — *Sanctificetur nomen tuum:* clarificetur in nobis notitia tua, ut cognoscamus, quae sit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promissorum tuorum, sublimitas maiestatis et profunditas iudiciorum. *Laud.*

IN EPIPHANIA DOMINI

ET INFRA OCTAVAM EJUSDEM FESTI

Et procidentes, adoraverunt eum.
Matth. 2, 11

In Epiphania Domini. — Omnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis.

Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.

Quia sanctissimus Pater de caelo, Rex noster, ante saecula misit dilectum Filium suum de alto; et operatus est salutem in medio terrae.

Laetentur caeli et exultet terra, commoveatur mare et plenitudo eius: gaudebunt campi et omnia quae in eis sunt.

Cantate ei canticum novum: cantate Domino omnis terra.

Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

Afferte Domino patriae gentium, afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.

Tollite corpora vestra et baiulate sanctam crucem eius: et sequimini usque in finem sanctissima praecepta eius. *Offic.*

Die 7 Ianuarii. — Sanctam quadragesimam, quae incipit ab Epiphania usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto ie-

iunio consecravit, qui voluntarie eam ieiunant, benedicti sint a Domino. *Reg. II. 3.*

Die 8 Ianuarii. — Domino Deo universos intra sanctam Ecclesiam catholicam et apostolicam servire volentes, et omnes ecclesiasticos ordines, sacerdotes, diaconos, subdiaconos, accolythos, exorcistas, lectores, ostiarios et omnes clericos, universos religiosos et universas religiosas, omnes pueros et parvulos, pauperes et egenos, reges et principes, laboratores, agricolas, servos et dominos, omnes virgines, continentes et maritatas, laicos, masculos et feminas, omnes infantes, adolescentes, iuvenes et senes, sanos, et infirmos, omnes pusillos et magnos et omnes populos, gentes, tribus et linguas, omnes nationes et omnes homines ubique terrarum, qui sunt et erunt, humiliter rogamus et supplicamus nos omnes fratres minores, servi inutiles, ut omnes in vera fide et poenitentia perseveremus, quia aliter nullus salvari potest. *Reg. I. 23.*

Die 9 Ianuarii. — Nihil aliud desideremus, nihil aliud velimus, nihil aliud placeat et delectet nos nisi Creator et Redemptor et Salvator noster, solus verus Deus, qui est plenum bonum, omne bonum, totum bonum, verum et summum bonum, qui *solus* est *bonus,* pius et mitis, suavis et dulcis, qui solus est sanctus, iustus, verus et rectus, qui solus est benignus, innocens et mundus, a quo et per quem et in quo est omnis venia, omnis gratia, omnis gloria omnium poenitentium et iustorum, omnium beatorum in

caelis congaudentium. Nihil ergo nos impediat, nihil separet, nihil interpolet. *Reg. I. 23.*

Die 10 Ianuarii. — *Confitemini Domino quoniam bonus* (Psalm. 135, 1) et *exaltate eum in operibus vestris* (Tob. 13, 6): quoniam ideo misit vos in universo mundo, ut verbo et opere detis testimonium voci eius et faciatis scire omnes, quoniam *non est omnipotens praeter eum* (Tob. 13, 4) *Ep. II.*

Die 11 Ianuarii. — Tantum honorem in populo vobis commisso Domino conferatis, ut quolibet sero annuntietur per nuntium vel per aliud signum, quo omnipotenti Domino Deo ab universo populo laudes et gratiae referantur. *Ep. IV.*

Die 12 Ianuarii. — Ipse altissimus et summus, solus verus Deus habeat et ei reddantur et ipse recipiat omnes honores et reverentias, omnes laudes et benedictiones, omnes gratias et omnem gloriam, cuius est omne bonum, qui solus est bonus. *Reg. I. 17.*

Octava Epiphaniae. — Quando videmus vel audimus, malum dici vel fieri vel blasphemari Deum, nos benedicamus et benefaciamus et laudemus Dominum, qui est benedictus in saecula. *Reg. I. 17.*

DOMINICA I POST EPIPHANIAM

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Et venit Nazareth.
Luc. 2, 51

Dominica. — Dum pauperem vides, o frater, speculum tibi proponitur Domini et pauperis Matris eius. In infirmis similiter infirmitates, quas assumsit, considera. *S. Bonav. 8, 5.*

Feria secunda. — Paupertatem noveritis, fratres, specialem viam esse salutis tamquam humilitatis fomentum perfectionisque radicem, cuius est fructus multiplex, sed occultus. Haec enim est evangelici agri thesaurus absconditus, pro quo emendo vendenda sunt omnia (Matth. 13, 44), et quae vendi non possunt, illius comparatione spernenda. Ad huius culmen qui cupit attingere non solum mundanae prudentiae verum etiam litterarum peritiae renuntiare quodammodo debet, ut tali expropriatus possessione, introeat *in potentias Domini* (Psalm. 70, 15) et nudum se offerat brachiis Crucifixi. *S. Bonav. 7, 1-2.*

Feria tertia. — Quantum fratres declinabunt a paupertate, tantum mundus declinabit ab eis: et quaerent et non invenient. Sed si dominam meam paupertatem complexi fuerint, mundus eos nutriet, quia mundo dati sunt ad salutem. *Cel. II. 70.*

Feria quarta. — Malo, te altare Virginis gloriosae nudare, cum necesitas id requirit, quam contra paupertatis votum et observantiam Evangelii aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit Virgo beata, sancti Evangelii perfecte servato consilio, suum altare detegi, quam, altari vestito, Filii sui promissum consilium praetermitti. *S. Bonav. 7, 4.*

Feria quinta. — Paupertas est, quae haeredes et reges regni caelorum instituit, non falsae vestrae divitiae. *Cel. II. 72.*

Feria sexta. — Pluras delicias sumo de paupere mensa, quae parvis eleemosynis occupatur, quam de magnis, in quibus fercula quorum vix est numerus. *Cel. II. 73.*

Sabbato. — Qui pauperi maledicit, Christo iniuriam facit, cuius portat nobile signum qui se pro nobis fecit pauperem in hoc mundo. *Cel. I. 76.*

DOMINICA II POST EPIPHANIAM

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Quodcumque dixerit vobis, facite.
Ioan. 2, 6

Dominica. — Fratres, qui sunt subditi, recondentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates: unde firmiter praecipio eis, ut obediant suis ministris in omnibus, quae promiserunt Domino observare et non sunt contraria animae et regulae nostræ. *Reg. II. 10.*

Feria secunda. — Omnes fratres teneantur obedire guardianis suis et facere officium secundum regulam. *Testam.*

Feria tertia. — Fratres mei, primo verbo praeceptum implete, nec expectetis iterandum quod dicitur. Nihil enim impossibilitatis causemini, quoniam etsi supra vires ipse mandarem, viribus obedientia non careret. *Cel. II. 51.*

Feria quarta. — Inter alia, quae dignanter pietas mihi divina concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter novitio unius horae obedirem, si mihi guardianus daretur, sicut antiquissimo et discretissimo fratri . *S. Bonav. 6, 4.*

Feria quinta. — Si frater, fratris praelati, subditus, non solum audiat vocem, sed comprehendat

voluntatem, statim ad obedientiam totum se debet colligere ac facere quod eum velle signo aliquo comprehendet. *Cel. I. 45.*

Feria sexta. — Subditus, praelatum suum non hominem considerare debet, sed illum, pro cuius est amore subiectus. Quanto enim contemptibilior praesidet, tanto magis humilitas obedientis placet. *S. Bonav. 6, 4.*

Sabbato. — Firmiter volo obedire ministro generali huius fraternitatis et alii guardiano, quem sibi placuerit mihi dare. Et ita volo esse captus in manibus suis, ut non possim ire vel facere ultra obedientiam et voluntatem suam, quia dominus meus est. *Testam.*

DOMINICA III POST EPIPHANIAM

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Domine, non sum dignus.
Matth. 8, 8

Dominica. — Domina sancta paupertas, Dominus te salvet cum tua sorore sancta humilitate... Sancta paupertas confundit omnem cupiditatem et avaritiam et curas huius saeculi.

Sancta humilitas confundit superbiam et omnes homines huius mundi et omnia, quae in mundo sunt. *Salut. virt.*

Feria secunda. — Si tantum esses subtilis et sapiens, quod omnem scientiam haberes et scires interpretari omnia genera linguarum et subtiliter de caelestibus rebus perscrutari, in omnibus his non potes gloriari: quia unus daemon scivit de caelestibus et modo scit de terrenis plus, quam omnes homines, licet aliquis homo fuerit, qui summae sapientiae cognitionem a Domino receperit specialem. Similiter, si esses ditior et pulchrior omnibus et etiam si faceres mirabilia et daemones fugares, omnia ista tibi sunt contraria, et nihil ad te pertinent, et in his nihil potes gloriari; sed in hoc possumus *gloriari: in infirmitatibus* (II. Cor. 12, 5) nostris. Et baiulare quotidie sanctam crucem Domini nostri Iesu Christi. *Adm. V.*

Feria tertia. — Omnes fratres, in quibuscumque locis steterint apud alios ad serviendum vel laborandum, non sint camerarii nec cancellarii nec praesint in domibus eorum quibus serviunt; nec recipiant aliquod officium, quod scandalum generet vel *animae suae faciat detrimentum* (Marc. 8,36); sed sint minores et subditi omnibus, qui in eadem domo sunt. *Reg. I. 7.*

Feria quarta. — Et sint minores. Volo, ut Ordo fratrum minorum fraternitas haec vocetur. *Cel. I. 38.*

Feria quinta. — Minores ideo vocati sunt fratres mei, ut maiores fieri non praesumant. Si vultis, ut fructum faciant in ecclesia Dei, tenete illos et conservate in statu vocationis eorum, et ad praelationes ecclesiasticas nullatenus ascendere permittatis. *S. Bonav. 6, 5.*

Feria sexta. — Debent (fratres) gaudere, quando conversantur inter viles et despectas personas, inter pauperes et debiles, infirmos et leprosos et iuxta viam mendicantes. *Reg. I. 9.*

Sabbato. — Melius iudico, eum qui ponitur in exemplum, fugere curias et humiliter inter humiles in locis conversare humilibus, ut sustinentes penuriam fortes efficiat similia sustinendo. *S. Bonav. 6, 10.*

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Domine, salva nos, perimus.
Matth. 8, 25

Dominica. — Habeamus corpora nostra in opprobrium et despectum, quia omnes per culpam nostram sumus miseri et putridi, foetidi et ver-

mes, sicut dicit Dominus per prophetam: *Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis.* (Psalm. 21, 6). *Ep. I.*

Feria secunda. — Omnes fratres, ubicumque sunt, recordentur, quod dederunt se et reliquerunt corpora sua Domino nostro Iesu Christo, et pro eius amore debent se exponere inimicis tam visibilibus, quam invisibilibus; quia dicit Dominus: *Qui perdiderit animam suam propter me salvam faciet eam.* (Marc. 8, 35; Luc. 9, 24) in vitam aeternam. *Reg. I. 16.*

Feria tertia. — Debemus odio habere corpora nostra cum vitiis et peccatis, quia Dominus dicit in Evangelio: Omnia vitia et peccata *de corde exeunt.* (Matth. 15, 18) *Ep. I.*

Feria quarta. — Beatus ille servus, qui inimicum traditum in sua potestate, (videlicet corpus) semper captum tenuerit et sapienter se ab ipso custodierit; dum hoc fecerit, nullus alius inimicus visibilis, vel invisibilis ei nocere poterit. *Adm X.*

Feria quinta. — Multum astutus et subtilis ingenii noster est inimicus, qui cum intus in anima nocere non possit, saltem corpori praestat materiam murmurandi. *Cel. II. 64.*

Feria sexta. — Multi sunt, qui dum peccant et iniuriam recipiunt, saepe inculpant inimicum, vel proximum. Sed non est ita: quia unusquisque

in sua potestate habet inimicum, videlicet corpus, per quod peccat. *Adm. X.*

Sabbato. — *Et ne nos inducas in tentationem:* occultam vel manifestam, subitam vel importunam, *sed libera nos a malo:* praeterito, praesenti et futuro. Amen. *Laud.*

DOMINICA V POST EPIPHANIAM

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Venit inimicus et superseminavit zizania.
Matth. 13, 25

Dominica. — Confunduntur optimi fratres in malorum fratrum operibus, et ubi non peccaverunt, ipsi pravorum exemplo portant iudicium. *Cel. II. 157.*

Feria secunda. — Spiritu tepido et pedetentim a gratia frigescente, necesse est carnem et sanguinem quae sua sunt quaerere. Quid enim restat, anima non inveniente delicias, nisi ut caro convertatur ad suas? Et tunc animalis appetitus necessitatis articulum palliat, tunc sensus carnis conscientiam format. *Cel. II. 69.*

Feria tertia. — Caveant omnes fratres, tam ministri et servi quam alii, quod propter peccatum alterius vel malum exemplum non turbentur vel irascantur, quia diabolus propter delictum unius multos vult corrumpere: sed spiritualiter, sicut melius possunt, adiuvent illum, qui peccavit, quia *non est sanis opus medicus, sed male habentibus* (Matthaeus 9, 12). *Reg. I. 5.*

Feria quarta. — Quando facerent fratribus homines verecundiam et nollent eis dare eleemosynam, referant inde gratias Deo; quia de verecundiis recipient magnum honorem ante tribunal Domini nostri Iesu Christi. Et sciant, quod verecundia non patientibus, sed inferentibus imputatur. *Reg. I. 9.*

Feria quinta. — Sunt multi religiosi, qui sub specie meliora videndi quam illa, quae sui praelati praecipiunt, *retro aspiciunt* (Luc. 9, 62.) et ad *vomitum* propriae voluntatis *redeunt* (Prov. 26, 11.); hi homicidae sunt et propter mala sua exempla multas animas perdere faciunt. *Adm. III.*

Feria sexta. — Si inter fratres, ubicumque sint, fuerit aliquis frater volens carnaliter et non spiritualiter ambulare, fratres, cum quibus est, moneant eum et instruant et corripiant humiliter et diligenter. Quodsi ille post tertiam admonitionem noluerit se emendare, quam citius possunt, mittant eum vel significent suo ministro et servo, qui minister et servus de eo faciat,

sicut sibi secundum Deum melius videbitur expedire. *Reg. I. 5.*

Sabbato. — A te sanctissime Domine, et a tota caelesti curia et a me parvulo tuo sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt et destruunt quod per sanctos fratres Ordinis huius aedificasti et aedificare non cessas. *S. Bonav. 8, 3.*

DOMINICA VI POST EPIPHANIAM

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Simile est regnum caelorum grano sinapis.
Matth. 13, 31

Dominica. — Confortamini, carissimi, et *gaudete in Domino* (Eph. 6, 10; Philip. 3, 1), nec, quia pauci videmini, efficiamini tristes, nec vos deterreat mea vel vestra simplicitas, quoniam, sicut mihi a Domino in veritate ostensum est, in maximam multitudinem faciat nos crescere Deus et usque ad fines orbis multipliciter dilatabit. Ad vestrum quoque profectum dicere cogor quod vidi, quod et utique magis silere liberet, si caritas me non cogeret vobis referre. Vidi multitudinem magnam hominum ad nos venientium et in habitu sanctae conversationis beataeque religionis regula nobiscum volentium conversari.

Et ecce adhuc sonitus eorum est in auribus meis, euntium et redeuntium secundum obedientiae sanctae mandatum. Vidi quasi vias, ipsorum multitudine plenas, ex omni fere natione in his partibus convenire. Veniunt Francigenae, festinant Hispani, Teutonici et Anglici currunt, et aliarum diversarum linguarum accelerat maxima multitudo. *Cel. I. 27.*

Feria secunda. — Religio nostra coetus praegrandis est, et quasi synodus generalis, quae ex omni parte mundi sub una forma vivendi convenit. In hac sapientes quae simplicium sunt ad suum commodum trahunt, cum vident idiotas igneo vigore caelestia quaerere, et indoctos per hominem per Spiritum spiritualia sapere. In hac etiam simplices quae ad sapientes pertinent in suum fructum convertunt, cum ad eadem secum humiliatos vident praeclaros viros, qui possent ubique in saeculo vivere gloriosi. Hinc relucet beatae huius familiae pulchritudo, cuius multiformis ornatus patrifamilias non modicum placet. *Cel. II. 192.*

Feria tertia. — Ut fideliter et devote Domino Deo nostro super omnia dona sua, fratres, gratias referamus, et ut sciatis qualiter cum praesentibus et futuris sit fratribus conversandum, futurorum procesuum intelligite veritatem. Inveniemus nunc in principio nostrae conversationis poma quaedam dulcia et suavia nimium ad edendum, sed paulo post quaedam minoris suavitatis ac dulcedinis offerentur, postremo vero quaedam

amaritudine plena dabuntur, quibus non poterimus vesci, quoniam prae acerbitate sua erunt inesibilia universis, licet quamdam exteriorem olentiam ac pulchritudinem repraesentent. Et vere, sicut vobis locutus sum, in *magnam gentem* (Gen. 12, 2) nos Dominus augmentabit. Sed ultimo sic eveniet, quemadmodum si homo iactet retia sua in mare vel in aliquem locum, et concludat *piscium multitudinem copiosam* (Luc. 5, 6), et cum omnes miserit in naviculam suam, prae multitudine omnes portare fastidiens, eligat maiores et sibi placentes in vasis suis, caeteros autem foras emittat. *Cel. I. 28.*

Feria quarta. — Domine Jesu Christe, qui duodenum apostolorum numerum elegisti, de quo licet uno cadente, caeteri tamen adhaerentes tibi sanctum evangelium uno repleti spiritu praedicarunt, tu, Domine, in hac hora novissima antiquae misericordiae memorans, fratrum plantasti religionem in tuae fidei fulcimentum et ut evangelii tui per eos misterium impleretur: quis ergo pro ipsis coram te satisfaciet, si, ad quod missi sunt, non solum omnibus lucis exempla non monstrent, sed potius ostendant opera tenebrarum? *Cel. II. 156.*

Feria quinta. — Commercium est inter mundum et fratres: debent ipsi mundo bonum exemplum, debet mundus eis provisionem necessitatum. Quando ipsi retraxerint bonum exemplum fide mentita, retrahit mundus manum iusta censura. *Cel. II. 70.*

Feria sexta. — Ad hoc vocati sumus, ut vulneratos medeamur, alligemus confractos, et erroneos revocemus. Multi videntur nobis membra diaboli, qui adhuc Christi erunt discipuli. *Bessa, 3.*

Sabbato. — Gratias tibi ago, Domine, pauperum sanctificator et rector, qui me de fratribus meis laetificasti. Benedic, precor, illos fratres benedictione largissima et omnes qui per bona exempla redolere faciunt professionem suam dono speciali sanctifica. *Cel II. 178.*

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Ite et vos in vineam meam.
Matth. 20, 4

Dominica. — Quid, fratres, consulitis, quid laudatis? An, quod orationi vacem, an quod praedicando discurram? Siquidem ego parvulus, simplex et *imperitus sermone* (II. Cor. 11, 6) maiorem orandi accepi gratiam quam loquendi. Videtur enim in oratione lucrum et cumulatio gratiarum, in praedicatione distributio quaedam donorum caelitus acceptorum; in oratione etiam purificatio interiorum affectuum et unitio ad unum, verum et summum Bonum cum vigoratione virtutis; in praedicatione spiritualium pulverizatio

pedum, distractio circa multa et relaxatio disciplinae. Tandem in oratione Deum alloquimur et audimus et quasi angelicam vitam agentes inter angelos conversamur; in praedicatione multa oportet condescensione uti ad homines et humane inter eos vivendo, humana cogitare, videre, dicere et audire.

Sed unum est in contrarium, quod videtur praeponderare his omnibus ante Deum, quod videlicet unigenitus Dei Filius, qui est sapientia summa, propter animarum salutem de sinu Patris descendit, ut, suo mundum informans exemplo, verbum salutis hominibus loqueretur, quos sacri sanguinis et praetio redimeret et emundaret lavacro et poculo sustentaret, nihil sibi omnino reservans, quod non in salutem nostram liberaliter erogaret. Et quia nos debemus omnia facere secundum exemplar eorum, quae videmus in ipso tamquam in monte sublimi: videtur magis Deo placitum, quod intermissa quiete, foras egrediar ad laborem. *S. Bonav. 12, 1.*

Feria secunda. — Fratres, qui sciunt laborare, laborent et eandem artem exerceant, quam noverint, si non fuerit contra salutem animae suae et honeste poterint operari. Nam ait propheta: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.* (Psalm. 127, 2); et apostolus: *Qui non vult operari non manducet* (II. Thessal. 3, 10) *Reg. I. 7.*

Feria tertia. — Omnes fratres studeant bonis operibus insudare, quia scriptum est: « Semper

facito aliquid boni operis, ut diabolus te inveniat occupatum » (S. Hieron. Ep. 125 alias 4 n. 11); et iterum : Otiositas inimica est animae » (S. Anselm. Ep. 49). *Reg. I. 7.*

Feria quarta. — Volo omnes fratres meos laborare et exercitari, et eos qui nesciunt aliquas artes addiscere, ut minus simus hominibus onerosi, et ne in otio per illicita cor aut lingua vagetur. *Cel. II. 161.*

Feria quinta. — Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod, excluso otio animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deservire. *Reg. II. 5.*

Feria sexta. — Recipiat unusquisque mercedem non secundum auctoritatem, sed secundum laborem. *Cel. II. 146.*

Sabbato. — Ego manibus meis laborabam et volo laborare ; et omnes alii fratres, firmiter volo, quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem. Qui nesciunt, discant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, sed propter exemplum et ad repellendam otiositatem. *Testament.*

DOMINICA IN SEXAGESIMA

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Semen est verbum Dei.
Luc. 8, 11

Dominica. — Cum sim servus omnium, omnibus servire teneor et administrare odorifera verba Domini mei. *Ep. I.*

Feria secunda. — Moneo et exhortor fratres, ut in praedicatione, quam faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et aedificationem populi, annuntiando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam cum brevitate sermonis; quia *verbum abbreviatum fecit Dominus super terram* (Rom. 9, 28) *Reg. II. 9.*

Feria tertia. — Ecce fiat omnium religiosorum, qui in ecclesia sunt, unum capitulum generale. Quoniam igitur adsunt litterati et qui sine litteris sunt, scientes et qui sine scientia Deo placere sciunt, uni sapientum unique simplicium sermo indicitur. Deliberat sapiens, nam sapiens est, et cogitat intra se: non est hic ostendendae scientiae locus, ubi sunt perfecti scientia, nec me inter subtilissimos dicentem subtilia reddere decet curiositate notabilem. Simpliciter loqui forsitan fructuosius erit. Illucet statuta dies, congregantur in unum congregationes sanctorum,

sitiunt audire sermonem. Procedit sapiens sacco vestitus et cinere adspersus caput, et mirantibus cunctis, facto plus praedicans, abbreviat verba. Erumpunt in lacrimas auditorum corda compuncta, vereque sapientem venerantur ut sanctum. Haeccine, ait simplex in corde suo, totum mihi praeripuit sapiens quidquid facere vel dicere statui. Sed novi quid faciam. Scio quosdam versus de psalmis; geram ego sapientis morem, postquam ille simplicis morem gessit. Advenit crastina sessio, surgit simplex, psalmum proponit in themate. Divino igitur afflatus spiritu, tam ferventer, subtiliter, dulciter ex inspirato Dei dono perorat, ut omnes repleti stupore vere dicant: *Cum simplicibus sermocinatio eius.* (Prov. 3, 32) *Cel. II. 191.*

Feria quarta. — Multos scientia reddit indociles rigidum quiddam eorum inflecti non sinens humilibus disciplinis. Quapropter vellem ut vir litteratus hanc mihi primo precem offerret: « Ecce, frater, diu in saeculo vixi, nec Deum meum vere cognovi. Oro concedi mihi locum a strepitu mundi semotum, quo recogitem annos meos in dolore, quove dispersiones cordis mei recolligens, animum ad meliora reformem ». Qualem futurum crederetis, qui sic inciperet? Profecto leo excatenatus ad omnia robustus exiret, et beatus succus, quem hausisset initio, continuis in eo profectibus cresceret. Hic tandem vero ministerio verbi daretur certus, quia illud, quo bulliret effunderet. *Cel. II. 194.*

Feria quinta. — Prius praedicator haurire secretis orationibus debet quod postea sacris effundat sermonibus; prius intus calescere, quam foris frigida verba proferre. *Cel. II. 163.*

Feria sexta. — Nullus fratrum praedicet contra formam et institutionem sanctae Romanae Ecclesiae et nisi concessum sibi fuerit a ministro suo. *Reg. I. 17.*

Sabbato. — Omnes fratres operibus praedicent. *Reg. I. 17.*

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA

FERIISQUE SEQUENTIBUS

Iesu, fili David miserere mei.
Luc. 18, 38

Dominica. — Beatus ille religiosus, qui non habet iucunditatem et laetitiam nisi in sanctissimis eloquiis et operibus Domini et cum his perducit homines ad amorem Dei in gaudio et laetitia. *Adm. XXI.*

Feria secunda. — Filii saeculi huius divina non intelligunt sacramenta; instrumenta quippe

musica, divinis quondam laudibus deputata, in aurium voluptatem libido humana convertit. *Cel. II, 126.*

Feria tertia. — Animas vestras et fratrum vestrorum custodite. *Reg. I. 5.*

FERIA QUARTA CINERUM

FERIISQUE SEQUENTIBUS

Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae, tristes.
Matth. 6, 16

Feria quarta. — *Agite poenitentiam, facite dignos fructus poenitentiae* (Matth. 3, 2 et Luc. 3, 8), quia scitote, quod cito moriemini. *Reg. I. 21.*

Feria quinta. — Nunc est tempus salutis, postmodum aequitatis. *Cel. II. 38.*

Feria sexta. — Debemus ieiunare et abstinere a vitiis et peccatis, et a superfluitate cibi et potus, et esse catholici. *Ep. I.*

Sabbato. — Fratri corpori cum discretione providendum est, ne ab eo tempestas commoveatur accidiae. Ut enim non taedeat ipsum vi-

gilare et reverenter in oratione persistere, tollatur ei occasio murmurandi. Diceret enim: Fame deficio, tui exercitii sarcinam ferre non valeo. Quod, si postquam sufficientem vorasset annonam, talia mussitaret, scito pigrum iumentum indigere calcaribus et inertem asellum stimulum expectare. *Cel. II. 129.*

DOMINICA I IN QUADRAGESIMA

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Ductus est Iesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo.

Matth. 4, 1

Dominica. — Dominus, quando stetit in deserto ubi oravit et ieiunavit quadraginta diebus, non cellam ibi fieri fecit, nec aliquam domum sed sub saxo montis permansit. *Cel. II. 59.*

Feria secunda. — Nullus se Dei servum reputare debet, quousque per tentationes et tribulationes transierit. *Cel. II. 118.*

Feria tertia. — Annulus quodammodo est victa tentatio, quo Dominus sibi desponsat animam servi sui. *Cel. II. 118.*

Feria quarta. — Quo magis tentatum, magis a me dilectum te noveris. *Cel. II. 118.*

Feria quinta. — Signum amplioris est gratiae: nihil in servo suo impune relinquere, dum vivit in mundo. *Cel. II. 120.*

Feria sexta. — Magis debemus gaudere, *cum in tentationes varias inciderimus* (Iac. 1, 2), et cum sustinemus quascumque animae vel corporis angustias aut tribulationes in hoc mundo propter vitam aeternam. *Reg. I. 17.*

Sabbato. — Plures se nulla sustinuisse tentamenta laetantur, sed sciant ex hoc spiritus sui debilitatem consideratam a Domino. Vix enim obiiciuntur certamina fortia, nisi ubi fuerit virtus perfecta. *Bessa, 3.*

DOMINICA II IN QUADRAGESIMA

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Nemini dixeritis visionem...
Matth. 17, 9

Dominica. — Beatus servus, qui *thesaurizat in caelo* bona, quae Dominus sibi ostendit, et sub spe mercedis non cupit manifestare homi-

nibus, quia ipse Altissimus manifestabit opera eius quibuscumque placuerit. *Adm. XXVIII.*

Feria secunda. — Beatus servus, qui secreta Domini conservat in corde suo. *Adm. XXVIII.*

Feria tertia. — Beatus ille servus, qui non magis se exaltat de bono, quod Dominus dicit et operatur per illum, quam quod dicit et operatur per alium. *Adm. XVII.*

Feria quarta. — Quando servus Dei orans visitatur divinitus, dicere debet: Istam consolationem mihi peccatori et indigno de caelo misisti, Domine, et ego illam tuae committo custodiae, quia thesauri tui me sentio esse latronem. Cum autem ab oratione revertitur, sic debet se pauperculum et peccatorem ostendere, ac si nullam sit novam gratiam consecutus. *S. Bonav. 10, 4.*

Feria quinta. — Beatus ille sevus, qui non loquitur sub spe mercedis et omnia sua non manifestat et non est *velox ad loquendum* (Prov. 29, 20.), sed sapienter providet, quae debet loqui et respondere. *Adm. XXII.*

Feria sexta. — Vae illi religioso, qui bona, quae Dominus sibi ostendit, non retinet in corde suo et aliis non ostendit per operationem, sed magis sub spe mercedis hominibus verbis cupit ostendere; in hoc enim recipit mercedem suam, et audientes parum fructum reportant. *Adm. XXII.*

Sabbato. — Ubi est quies et meditatio: ibi neque sollicitudo, neque vagatio. *Adm. XXVII.*

DOMINICA III IN QUADRAGESIMA

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Qui non est mecum, contra me est.
Luc. 11, 23

Dominica. — Omnes fratres caveant sibi, ut non calumnientur aliquem, *neque contendant verbis* (II. Timot. 2, 14.), immo studeant retinere silentium, quamdocumque eis Deus gratiam largietur. *Reg. I. 11.*

Feria secunda. — Tanto maior est detractorum impietas quam latronum, quanto lex Christi, quae in observantia pietatis impletur, magis animarum quam corporum nos astringit optare salutem. *S. Bonav. 8, 4.*

Feria tertia. — Instant religioni discrimina, nisi detractoribus obvietur. Cito multorum suavissimus odor fœtebit, nisi fœtidorum ora claudantur. Surge, surge, discute diligenter, et si accusatum fratrem repereris innocentem, accusantem dura correctione cunctis redde notabilem.

Summa, volo, providentia cures, ne pestifer iste morbus latius se diffundat. *Cel. II. 182.*

Feria quarta. — Vox detractoris haec est: Vitae mihi perfectio deest, scientiae vel peculiaris gratiae facultas non suppetit, ac per hoc nec apud Deum locum invenio nec apud homines. Scio quid faciam: ponam maculam in electis, et apud maiores gratiam promerebor. Scio praelatum meum hominem esse, eodemque mecum quandoque uti officio, quo succisis cedris, solus videatur rhammus in silva. Eia, miser, humanis carnibus vescere, et quia vivere aliter non potes, fratrum viscera rode. *Cel. II. 183.*

Feria quinta. – Frates *neminem blasphement* (Tit. 3, 2); non murmurent; non detrahant aliis, quia scriptum est: *Sussurones et detractores sunt Deo odibiles* (Rom. 1, 29-30). Et sint *modesti omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.* (Tit. 3, 2) *Reg. I. 11.*

Feria sexta. — Fratres non iudicent; non condemnent; et, sicut dicit Dominus, non considerent minima peccata aliorum, immo magis sua *recogitent in amaritudiue animae suae* (Isai 38, 15). *Reg. I. 11.*

Sabbato. — Quicumque invidet fratri suo de bono, quod Dominus dicit et facit in ipso, pertinet ad peccatum blasphemiae, quia ipsi Altissimo invidet, qui dicit et facit omne bonum. *Adm. VIII.*

DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Accepit Iesus panes: et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.
Ioann. 6, 11

Dominica. — (Fratres) contriti et confessi sumant corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, cum magna humilitate et veneratione, recordantes, quod ipse Dominus dicit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam* (Ioan. 6, 55). *Reg. I. 20.*

Feria secunda. — Debemus confiteri sacerdoti omnia peccata nostra et recipere ab eo corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Qui non manducat suam carnem et non bibit suum sanguinem, non potest intoire in regnum Dei. *Ep. I.*

Feria tertia. — Firmiter consulo vobis, dominis meis, ut omni cura et sollicitudine posthabitis, sanctissimum corpus et sanctissimum sanguinem Domini nostri Iesu Christi in eius sancta commemoratione benigne recipiatis. *Ep. IV.*

Feria quarta. — Qui nolunt gustare, *quam suavis sit Dominus* (Ps. 33, 8) et *diligunt tenebras magis quam lucem* (Io. 3, 19) nolentes adimplere

mandata Dei: maledicti sunt; de quibus dicitur per prophetam: *Maledicti qui declinant a mandatis tuis* (Psal. 118, 21) *Ep. I.*

Feria quinta. — Despicit homo, polluit et conculcat Agnum Dei, quando, sicut dicit Apostolus, non diiudicans et discernens sanctum panem Christi ab aliis cibariis vel operibus, vel indignus manducat vel etiam, si esset dignus, vane et indigne manducat, cum Dominus per prophetam dicat: *Maledictus homo, qui facit opus Domini fraudulenter* (Ierem. 48, 10). Et sacerdotes, qui nolunt hoc ponere super cor, contemnet dicens: *Maledicam benedictionibus vestris* (Malach. 2, 2) *Ep. II.*

Feria sexta. — In omni praedicatione, quam facitis, de poenitentia populum moneatis et quod nemo potest salvari, nisi qui recipit sanctissimum corpus et sanguinem Domini. Et, quando a sacerdote sacrificatur super altare et in aliqua parte portatur, omnes gentes flexis genibus reddant laudes, gloriam et honorem Domino Deo vivo et vero. *Ep. V.*

Sabbato. — Omnes illi, qui non sunt in poenitentia et non recipiunt corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed operantur vitia et peccata et ambulant post malam concupiscentiam et mala desideria et non observant quae promiserunt, et serviunt corporaliter mundo et carnalibus desideriis et curis et sollicitudinibus huius saeculi, mente autem serviunt diabolo de-

cepti ab ipso, cuius filii sunt et cuius opera faciunt, caeci sunt, quia verum lumen Dominum nostrum Iesum Christum non vident. Hi sapientiam non habent spiritualem, quia non habent Filium Dei in se, qui est vera sapientia Patris; de quibus dicitur: *Sapientia eorum devorata est* (Psalm. 106, 27). Vident, agnoscunt, sciunt et faciunt mala et scienter perdunt animas suas. *Ep. I.*

DOMINICA DE PASSIONE

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Qui ex Deo est, verba Dei audit.
Ioann. 8, 47

Dominica. — Volo fratres meos discipulos evangelicos esse sicque in notitias veritatis proficere, quod in simplicitatis puritate concrescant, ut simplicitatem columbinam a prudentia serpentina non separent, quas Magister eximius ore suo benedicto coniunxit. *S. Bonav. 11, 1.*

Feria secunda. — Omnes fratres sint catholici, vivant et loquantur catholice. Si quis vero erraverit a fide et vita catholica in dicto vel in facto et non se emendaverit, a nostra fraternitate penitus expellatur. *Reg. I. 19.*

Feria tertia. — Teneamus verba, vitam et doctrinam et sanctum eius Evangelium, qui dignatus est pro nobis rogare Patrem suum et nomen eius nobis manifestare. *Reg. I. 22.*

Feria quarta. — Bonum est scripturae testimonia legere, bonum est Dominum Deum nostrum in ipsis exquirere. *Cel. II. 105.*

Feria quinta. — Non pluribus indigeo, fili, scio Christum pauperem, crucifixum. *Cel. II. 105.*

Feria sexta. — Deprecor in caritate, quae Deus est, omnes fratres meos praedicatores, oratores, laboratores, tam clericos, quam laicos, ut studeant se humiliare in omnibus, non gloriari, nec in se gaudere nec interius se exaltare de bonis verbis et operibus, immo de nullo bono, quod Deus dicit vel facit et operatur in eis aliquando et per ipsos. *Reg. I. 17.*

Sabbato. — Omnipotens, altissime, sanctissime et summe Deus, Pater sancte et iuste, Domine rex caeli et terrae, propter temetipsum gratias agimus tibi, quia per sanctam voluntatem tuam et per unicum Filium tuum in Spiritu sancto creasti omnia spiritualia et corporalia et nos ad imaginem tuam et similitudinem factos in paradiso posuisti. Et nos per culpam nostram cecidimus. *Reg I. 23.*

DOMINICA IN PALMIS

ET INFRA HEBDOMADAM MAIOREM

Hosanna filio David.
Matth. 21, 9

Dominica. — Attende, homo, in quanta excellentia posuerit te Dominus, quia creavit et formavit te *ad imaginem* dilecti Filii sui secundum corpus et *similitudinem suam* secundum spiritum. Et omnes creaturae, quae sub coelo sunt, secundum se serviunt et cognoscunt et obediunt Creatori suo melius quam tu. Et etiam daemones non crucifixerunt eum, sed tu cum ipsis crucifixisti eum, et adhuc crucifigis delectando in vitiis et peccatis. *Adm. V.*

Feria secunda. — Numquid non ovem cernis, quae inter capras et hircos sic ambulat mansueta? Ita, dico tibi, quia Dominus noster Jesus Christus inter phariseos et principes sacerdotum mitis et humilis ambulabat. Rogo te propterea, fili, per caritatem ipsius, ut mecum huic compatiaris oviculae. *Cel. I. 77.*

Feria tertia. — Attendamus, omnes fratres, quod dicit Dominus: *Diligite inimicos vestros et benefacite his qui oderunt vos.* (Matth. 5, 44). Nam et Dominus noster Iesus Christus cuius vestigia sequi (I. Petri 2, 21) debemus, traditorem

suum vocavit amicum, et crucifixoribus sponte se obsulit. Amici igitur nostri sunt omnes illi qui nobis iniuste inferunt tribulationes et angustias, verecundias et iniurias, dolores et tormenta, martyrium et mortem: quos multum diligere debemus, quia ex hoc quod nobis inferunt, habemus vitam aeternam. *Reg. I. 22.*

Feria quarta. — Adoramus te Domine Jesu Christe, hic et ad omnes ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum *Testam.*

Feria quinta in Cena Domini — Dominus noster Jesus Christus qui est Verbum Patris prope passionem suam celebravit pascha cum discipulis suis et *accipiens panem gratia egit et benedixit et fregit dicens: Accipite et comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem dixit: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum* (Matth. 26, 26-28; Luc. 22, 19-20; I. Cor. 11, 24-25). Deinde oravit ad Patrem dicens: *Pater si fieri potest, transeat a me calix iste. Et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram* (Matth. 26, 39; Luc. 22, 44). Posuit tamen voluntatem suam in voluntate Patris dicens: *Pater, fiat voluntas tua, non, sicut ego volo, sed sicut tu* (Matth. 26, 42 et 39). Cuius Patris talis fuit voluntas, ut Filius eius benedictus et gloriosus, quem dedit nobis et natus fuit pro nobis, se ipsum per proprium sanguinem suum sacrificium et

hostiam in ara crucis offeret, non pro se, *per quem facta sunt omnia* (Joan. 1, 3), sed pro peccatis nostris *relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius* (I. Petr. 2, 21). Et vult ut omnes salvemur per ipsum et recipiamus ipsum puro corde et casto corpore. *Ep. I.*

Feria sexta in Parasceve. — Absorbeat quaeso, Domine, mentem meam ab omnibus quae sub caelo sunt, ignita et melliflua vis amoris tui, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. *Laud.*

Sabbato sancto. — O vos omnes, qui transitis per viam: attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.

Quoniam circumdederunt me canes multi: consilium malignantium obsedit me.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem.

Foderunt manus meas et pedes meos: et dinumeraverunt omnia ossa mea.

Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusussum: et dispersa sunt omnia ossa mea.

Et factum est cor meum tamquam cera liquescens: in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea: et lingua mea adhaesit faucibus meis.

Et dederunt in escam meam fel: et in siti mea potaverunt me aceto.

Et in pulverem mortis deduxerunt me: et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Ego domivi et resurrexi: et Pater meus sanctissimus cum gloria suscepit me.

Pater sancte, tenuisti manum dexteram meam: et in voluntate tua deduxisti me et cum gloria assumpsisti me.

Quid enim mihi est in caelo: et a te quid volui super terram?

Videte, videte, quoniam ego sum Deus, dicit Dominus: exaltabor in gentibus et exaltabor in terra.

Benedictus Dominus Deus Israel, qui redemit animas servorum suorum de proprio sanctissimo sanguine suo: et non delinquent omnes, qui sperant in eo.

Et scimus, quoniam venit: quoniam veniet iustitiam iudicare. *Offic.*

DOMINICA RESURRECTIONIS

FERIISQUE INFRA OCTAVAM PASCHAE

Surrexit...
Marc. 16, 6

Dominica Resurrectionis. — Cantate Domini canticum novum: quia mirabilia fecit.

Sanctificavit filium suum dextera eius: et brachium sanctum eius.

Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium revelavit iustitiam suam.

In illa die mandavit Dominus misericordiam suam: et nocte canticum eius.

Haec est dies, quam fecit Dominus: exultemus et laetemur in ea.

Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus, et illuxit nobis.

Laetentur caeli et exultet terra; commoveatur mare et plenitudo eius: gaudebunt campi et omnia, quae in eis sunt.

Afferte Domino patriae gentium, afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini eius. *Offic.*

Feria secunda. — Quia (Christus) tanta sustinuit pro nobis et tot bona contulit nobis et conferet in futuro, *omnis creatura, quae est in caelo et in terra et in mari* et in abyssis, referat Deo, laudem, *gloriam et honorem et benedictionem* (Apoc. 5, 13) quia ipse virtus et fortitudo nostra est, qui est solus bonus, solus altissimus, solus omnipotens et admirabilis, gloriosus et solus sanctus, laudabilis et benedictus in infinita saecula saeculorum. Amen. *Ep. I.*

Feria tertia. — Eius qui nos multum amavit, multum est amor amandus. *Cel. II. 196.*

Feria quarta. — Nihil de vobis retineatis vobis, ut totos vos recipiat, qui se vobis exhibet totum. *Ep. II.*

Feria quinta. — O quam gloriosum et sanctum et magnum habere in caelis Patrem! O quam sanctum, pulchrum et amabile habere in caelis Sponsum! O quam sanctum et quam dilectum, beneplacitum et humile, pacificum et dulce et amabile et super omnia desiderabile habere talem Fratrem, qui *posuit animam suam pro ovibus* suis (Ioan. 10, 15) et oravit Patrem pro nobis. *Ep. I.*

Feria sexta. — Audite, fratres mei: Si beata Virgo Maria sic honoratur, ut dignum est, quia ipsum potavit in sanctissimo utero: si Baptista beatus contremuit et non audet tangere sanctum Dei verticem, si sepulchrum, in quo per aliquod tempus iacuit, veneratur, quantum debet esse sanctus, iustus et dignus, qui non iam moriturum, sed in aeteruum victurum et glorificatum, *in quem desiderant Angeli prospicere* (I. Petr. 1, 12). contrectat manibus, corde et ore sumit et aliis ad sumendum praebet. *Ep. II.*

Sabbato in Albis. — Omnipotens, aeterne, iuste et misericors Deus, da nobis miseris propter temetipsum facere quod scimus te velle, et semper velle quod tibi placet, ut interius mundati, illuminati et igne sancti Spiritus accensi sequi possimus vestigia Filii tui, Domini nostri Iesu Christi, et ad te, Altissime, sola tua gratia pervenire. Qui in Trinitate perfecta et Unitate simplici vivis et regnas et gloriaris Deus omnipotens per omnia saecula saeculorum. Amen. *Ep. II.*

DOMINICA IN ALBIS

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Pax vobis.
Ioann. 20, 19

Dominica. — Ite, annuntiantes hominibus pacem, praedicate poenitentiam in remissionem peccatorum. Estote in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graves et in beneficiis grati, quia pro his omnibus regnum vobis praeparatur aeternum. *S. Bonav. 3, 7.*

Feria secunda. — Salutationem mihi Dominus revelavit, ut diceremus: Dominus det tibi pacem. *Testam.*

Feria tertia. — Pacem sicut nuntiatis ore, ita retineatis in corde, ut nullus per nos ad iram seu scandalum, sed potius ad benignitatem et mansuetudinem provocetur. *Bessa, 3.*

Feria quarta. — Consulo, moneo et exhortor fratres meos in Domino Iesu Christo, ut, quando vadunt per mundum, non litigent, *neque contendant verbis,* nec alios iudicent; sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus, sicut decet. *Reg. II, 3.*

Feria quinta. — Fratres non litigent inter se neque cum aliis, sed procurent humiliter respondere dicentes: *Servi inutiles sumus.* (Luc. 17, 10). *Reg. I. 11.*

Feria sexta. — Illi sunt vere pacifici, qui de omnibus, quae in hoc saeculo patientur, propter amorem Domini nostri Iesu Christi in animo et corpore pacem servant. *Adm. XV.*

Sabbato. — Si quiete comedit corpus cibum suum, futurum cum ipso vermium esca, cum quanta pace ac tranquillitate accipere debet anima cibum vitae? *S. Bonav. 10, 6.*

DOMINICA II POST PASCHA

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Ego sum pastor bonus.
Ioann. 10, 11

Dominica. — Attendamus, omnes fratres, bonum pastorem, qui pro ovibus suis salvandis crucis sustinuit passionem. Oves Domini secuti sunt eum in tribulatione et persecutione et verecundia, fame et siti, in infirmitate et tentatione et ceteris aliis; et de his receperunt a Domino vitam sempiternam. *Adm. VI.*

Feria secunda. — Fratres, qui sunt ministri et servi aliorum fratrum, visitent et moneant fratres suos et humiliter et caritative corrigant eos non praecipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam et regulam nostram. *Reg. II. 10.*

Feria tertia. — Ita debet esse, quod ministri sint servi omnium fratrum *Reg. II. 10.*

Feria quarta. — Recordentur ministri, quod commissa est eis cura animarum fratrum, de quibus, si aliquis perderetur propter eorum culpam et malum exemplum, in die iudicii opportebit eos reddere rationem coram Domino Iesu Christo. *Reg. I. 4.*

Feria quinta. — Ille, cui obedientia commissa est, et qui habetur maior, *sit sicut minor* (Luc. 22, 26), et aliorum fratrum servus, et in singulos fratres suos misericordiam faciat et habeat, quam vellet sibi fieri, si in consimili casu esset. Nec ex delicto fratris irascatur in fratrem, sed cum omni patientia et humilitate ipsum benigne moneat et sustineat. *Ep. I.*

Feria sexta. — Tam multimodi exercitus ducem, tam ampli gregis pastorem nullum sufficientem intueor. Sed volo vobis unum depingere, ac manu iuxta proverbium facere, in quo reluceat qualis esse debeat huius familiæ pater.

Homo esse debet vitæ gravissimæ, discretionis magnæ, famæ laudabilis. Homo, qui privatis amoribus careat, ne dum in parte plus diligit, in toto

scandalum generet. Homo cui sanctæ orationis studium sit amicum, qui certas horas animæ, certas gregi commisso distribuat. Nam primo mane missarum sacramenta debet praemittere, et longa devotione se ipsum et gregem divino tutamini commendare. Post orationem vero se ipsum in publico statuat ab omnibus depilandum, omnibus responsurum, omnibus cum mansuetudine provisurum. Homo debet esse, qui personarum acceptione sordidum non faciat angulum, apud quem minorum et simplicium non minus cura vigeat quam sapientum vel maiorum. Homo cui etsi concessum est litteraturæ dono praecellere, plus tamen in moribus piae simplicitatis imaginem gerat, foveatque virtutem. Homo, qui execretur pecuniam, nostræ professionis et perfectionis præcipuam corruptelam, quique pauperis religionis caput, imitandum se cæteris praebens, nullis unquam loculis abutatur. Sufficere debet huic pro se habitus et libellus, pro fratribus vero pennarium et sigillum. Non sit aggregator librorum, nec lectioni multum intentus, ne detrahat officio quod prærogat studio. Homo, qui consoletur afflictos cum sit ultimum refugium tribulatis, ne, si apud eum remedia defuerint sanitatum, desperationis morbus praevaleat in infirmis. Protervos ut ad mansuetudinem flectat, se ipsum prosternat, et aliquid sui iuris relaxet, ut animam lucrifaciat Christo. Ad refugos Ordinis, velut ad oves quae perierant, viscera pietatis non claudat, sciens tentationes esse pervalidas, quae ad tantum possunt impellere casum.

Honorari eum vice Christi vellem ab omnibus,

et in necessariis ipsi cum omni benevolentia provideri. Verum opportet eum non arridere honoribus, neque favoribus plus quam iniuriis delectari. Propensiori cibo, si quando vel debilis vel lassus egeret, non in abditis sed in publicis locis assumeret, ut aliis tolleretur verecundia debilibus providendi corporibus. Ad eum maxime pertinet latentes distinguere conscientias, et ex occultis venis eruere veritatem, auresque non deferre multiloquis.

Talis denique debet esse, qui retinendi honoris cupiditate virilem formam iustitiae nullatenus labefactet, quive tantum officium plus sibi fore sentiat oneri, quam honori. Non tamen ex superflua mansuetudine torpor nascatur, nec ex lapsa indulgentia dissolutio disciplinae, ut cum amori omnibus, sit terrori non minus iis, qui operantur malum. *Cel. II. 184-186.*

Sabbato. — Domine, tibi recommendo familiam, quam mihi hactenus commisisti. Et nunc, propter infirmitates, quas tu nosti, dulcissime Domine, curam eius habere non valens, ipsam recommendo ministris. Teneantur in die iudicii coram te, Domine, reddere rationem, si aliquis frater eorum vel negligentia, vel exemplo seu etiam aspera correctione perierit. *Cel. II. 143.*

DOMINICA III POST PASCHA

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Tristitia vestra vertetur in gaudium.
Ioann. 16, 20

Dominica. — Caveant sibi fratres, quod non se ostendant tristes extrinsecus et nubilosos hypocritas; sed ostendant se gaudentes in Domino et hilares et convenienter gratiosos. *Reg. I. 7.*

Feria secunda. — Non decet servum Dei tristem vel turbulentum se monstrare hominibus, sed semper honestum. Offensas tuas in tuo cubiculo discute et coram Deo tuo lacrimare et ingemisce. Cum redis ad fratres, moerore deposito, caeteris conformare. *Cel. II. 128.*

Feria tertia. — Quando flebilis est animus, desolatus et moerens, facile, vel absorbetur tristitia vel ad gaudia vana transmittitur. *Cel. II. 125.*

Feria quarta. — Tunc potissimum exultat diabolus, cum gaudium spiritus servo Dei potest subripere. Pulverem portat, quem quantumlibet parvis aditibus conscientiae possit iniicere, mentisque candorem et vitae munditiam sordidare. Sed laetitia spirituali corda replente, in vanum effundit serpens letale venenum. *Cel. II. 125.*

Feria quinta. — Servus Dei pro aliquo conturbatus illico surgere ad orationem debet, et tamdiu coram summo Patre persistere, donec reddat ei sui salutaris laetitiam. *Cel. II. 125.*

Feria sexta. — Non possunt daemones offendere Christi famulum, ubi eum viderint sancta iucunditate repletum. *Cel. II. 125.*

Sabbato. — Benedictus sit frates meus, qui promptus vadit, humilis quaerit, gaudens revertitur. *Cel. II. 76.*

DOMINICA IV POST PASCHA

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Arguet mundum de peccato, et de iustitia, et de iudicio.
Ioann. 16, 8.

Dominica. — Confiteor Deo Patri et Filio et Spiritui sancto et beatae Mariae perpetuae Virgini et omnibus sanctis in caelo et in terra et generali ministro huius religionis nostrae, sicut venerabili domino meo, et omnibus sacerdotibus ordinis nostri et omnibus aliis fratribus meis benedictis omnia peccata mea. In multis offendi

mea gravi culpa, specialiter quia regulam, quam Domino promisi, non servavi, nec officium, sicut regula praecipit, dixi, sive negligentia sive infirmitatis meae occasione sive quia ignorans sum et idiota. Ideoque per omnia oro, sicut possum, generalem dominum meum ministrum, ut faciat regulam ab omnibus inviolabiliter observari. *Ep. II.*

Feria secunda. — Fratres mei benedicti,tam clerici quam laici confiteantur peccata sua sacerdotibus nostrae religionis. Et si non poterunt, confiteantur aliis discretis et catholicis sacerdotibus scientes firmiter et attendentes, quia, a quibuscumque sacerdotibus catholicis acceperint poenitentiam et absolutionem, absoluti erunt procul dubio ab illis peccatis, si poenitentiam sibi iniuctam procuraverint humiliter et fideliter observare. Si vero tunc sacerdotem habere non poterunt, confiteantur fratri suo, sicut dicit apostolus Iacobus: *Confitemini alterutrum peccata vestra* (Iac. 5, 16). Non tamen ab hoc dimittant recurrere ad sacerdotes, quia potestas ligandi et solvendi solis sacerdotibus est concessa. *Reg. I. 20.*

Feria tertia. — Si quis fratrum instigante inimico mortaliter peccaverit, per obedientiam teneatur recurrere ad guardianum suum. Et omnes fratres, qui scirent eum peccasse, non faciant ei verecundiam nec detractionem, sed magnam misericordiam habeant circa ipsum et teneant multum privatum peccatum fratris sui; quia *non est*

opus sanis medicus, sed male habentibus (Matth. 9, 12). *Ep. III.*

Feria quarta. — Si (quis fratrum) in aliquo peccato veniali ceciderit, confiteatur fratri suo sacerdoti et, si non fuerit ibi sacerdos, confiteatur fratri suo, donec habebit sacerdotem, qui eum absolvat canonice, et isti penitus non habeant potestatem iniungendi aliam penitentiam nisi istam: *Vade et noli amplius peccare* (Ioan. 8, 11.) *Ep. III.*

Feria quinta. — Quicumque frater otiosum vel inutile verbum protulerit, teneatur statim dicere suam culpam, et pro singulis otiosis semel dicere *Pater noster*. Sic autem volo, ut si ipse prius se culpaverit de commisso, dicat *Pater noster* pro anima sua, si ab alio prius fuerit redargutus, animae redarguentis attribuat. *Cel. II. 160.*

Feria sexta. — Beatus servus, qui reprehensus benigne acquiescit, verecunde obtemperat, humiliter confitetur et libenter satisfacit. *Adm. XXIII.*

Sabbato. — Ubicumque sunt fratres, qui scirent et cognoscerent, se non posse regulam spiritualiter observare, ad suos ministros debeant et possint recurrere. Ministri vero caritative et benigne eos recipiant et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis et facere sicut domini servis suis. *Reg. II. 10.*

DOMINICA V POST PASCHA

ET IN FERIIS ROGATIONUM

Petite, et accipietis.
Joann. 16, 24

Dominica. — Clerici dicant officium cum devotione coram Deo, non attendentes melodiam vocis, sed consonantiam mentis, ut vox concordet menti, mens vero concordet cum Deo, ut possint per puritatem mentis placere Deo et non cum lascivitate vocis aures populi demulcere. Ego enim promitto haec firmiter custodire, sicut dederit mihi gratiam Dominus, et haec fratribus, qui mecum sunt, observanda tradam in officio et ceteris regularibus constitutis. Quicumque autem fratrum haec observare noluerint, non teneo eos catholicos nec fratres meos; nolo etiam ipsos videre nec loqui, donec poenitentiam egerint. *Ep. II.*

Feria secunda. — Vidi diabolum super fratris inobedientis dorsum, collum eius tenentem adstrictum. Qui tali sessore subactus, freno obedientiae spreto, instinctus eius sequebatur habenas. Et cum rogarem Dominum pro fratre, subito daemon confusus abscessit. *Cel. II. 34.*

Feria tertia. — Servi Dei semper orationi vel alicui bonae operationi insistere debent. *Reg. I. 7.*

Feria quarta. — Mundo corde sunt: qui terrena despiciunt et caelestia quaerunt et semper adorare et videre Dominum Deum vivum et verum mundo corde et animo non desistunt. *Adm. XVI.*

IN ASCENSIONE DOMINI

ET INFRA OCTAVAM EIUSDEM FESTI

Assumptus est in caelum.
Marc. 16. 19

In Ascensione. — Regna terrae, cantate Deo, psallite Domino: psallite Deo, qui ascendit super caelum caeli ad orientem.

Ecce dabit voci suae vocem virtutis: date gloriam Deo super Israel; magnificentia eius et virtus eius in nubibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebis suae, benedictus Deus. *Offic.*

Feria sexta. — Postquam dimisimus mundum, nihil aliud habemus facere, nisi solliciti simus sequi voluntatem Domini et placere ipsi. Multum caveamus, ne simus terra secus viam, vel petrosa, vel spinosa. *Reg. I, 22.*

Sabbato. — Religiosi, qui renuntiaverunt saeculo, tenentur plura et maiora facere. *Ep. I.*

Dominica infra Octavam. — Magna promisimus, maiora promissa sunt: servemus haec, suspiremus ad illa. *Cel. II. 191.*

Feria secunda. — Voluptas brevis, poena perpetua; modica passio, gloria infinita. Multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio. *Cel. II. 191.*

Feria tertia. — *Potens est Deus* (Luc. 3, 8), si placet suae dulcedini, tenebrarum effugata caligine, beneficium nobis impendere lucis. *S. Bonav. 5, 12.*

Feria quarta. — Omnes, qui (bona) fecerint et perseveraverint usque in finem, ... erunt filii Patris caelestis, cuius opera faciunt, et sunt sponsi, fratres et matres Domini nostri Iesu Christi. Sponsi sumus, quando per Spiritum sanctum coniungitur fidelis anima Iesu Christo. Fratres eius sumus, quando facimus voluntatem Patris eius, qui est in caelo. Matres eius sumus quando portamus eum in corde et corpore nostro per amorem et puram et sinceram conscientiam et parturimus eum per sanctam operationem, quae lucere debet aliis in exemplum. *Ep. I.*

Octava Ascensionis. — Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.

Et ascendit ad caelos: et sedet ad dexteram sanctissimi Patris in caelis.

Et scimus quoniam venit: quoniam veniet iustitiam iudicare. *Offic.*

Feria sexta. — Ave, regina sapientia, Dominus te salvet cum tua sorore sancta pura simplicitate... Sancta sapientia confundit satan et omnes malitias eius. Pura sancta simplicitas confundit omnem sapientiam huius mundi et sapientiam carnis. *Salut. virt.*

In Vigilia Pentecostes. — Apud Deum non est acceptatio personarum, et generalis minister religionis: Spiritus sanctus, aeque super pauperem et simplicem requiescit. *Cel. II. 193.*

DOMINICA PENTECOSTES

ET INFRA OCTAVAM EIUSDEM FESTI

Paraclitus autem Spiritus sanctus ille vos docebit omnia.
Ioann. 14, 26

Dominica. — *Spiritus est Deus* (Ioan. 4, 34), ideo nonnisi spiritu videri potest: quia *spiritus est, qui vivificat, caro* autem *non prodest quidquam* (Ioan. 6, 64). Sed nec Filius in eo, quod

aequalis est Patri, videtur ab aliquo aliter quam Pater, aliter quam Spiritus sanctus. *Adm. I.*

Feria secunda. — Sic potest cognosci servus Dei, si habet de spiritu Dei: cum Dominus operatur per ipsum aliquod bonum, si caro eius non inde se exaltat, quia semper est contraria omni bono, sed si magis ante oculos suos se habet viliorem, et omnibus aliis hominibus se minorem existimat. *Adm. XII.*

Feria tertia. — Spiritus Domini vult, mortificatam et despectam, vilem et abiectam et opprobriosam esse carnem, et studet ad humilitatem et patientiam, puram simplicitatem et veram pacem spiritus: et semper super omnia desiderat divinum timorem et divinam sapientiam et divinum amorem Patris et Filii et Spiritus sancti. *Reg. I, 17.*

Feria quarta. — Illi sunt vivificati a spiritu divinae litterae, qui omnem litteram quam sciunt et cupiunt scire, non attribuunt corpori, sed verbo et exemplo reddunt eam altissimo Domino, cuius est omne bonum. *Adm. VII.*

Feria quinta. — Spiritus Domini, qui habitat in fidelibus suis, ille est qui recipit sanctissimum corpus et sanguinem Domini; omnes alii, qui non habent de eodem spiritu et praesumunt recipere eum, *iudicium sibi manducant et bibunt.* (I. Cor. 11, 29) *Adm. I.*

Feria sexta. — Sanctissimae virtutes omnes, vos salvet Dominus, a quo proceditis et venitis. Nullus homo est penitus in toto mundo, qui unam ex vobis possit habere, nisi prius moriatur. Qui unam habet et alias non offendit, omnes habet; et qui unam offendit, nullam habet, et omnes offendit; et unaquaeque confundit vitia et peccata. *Salut. virt.*

Sabbato. — Fratres, qui vadunt (inter saracenos et alios infideles), possunt duobus modis spiritualiter inter eos conversari. Unus modus est, quod non faciant lites neque contentiones, sed sint *subditi omni humanae creaturae propter Deum* (I. Petr. 2, 13) et confiteantur se esse christianos. Alius modus est, quod, cum viderint placere Deo, annuntient verbum Dei, ut credant in Deum omnipotentem, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Creatorem omnium, Redemptorem et Salvatorem Filium, ut baptizentur et efficiantur christiani, quia *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei* (Ioan. 3, 5). Haec et alia, quae placuerint Domino, ipsis et aliis dicere possunt. *Reg. I. 16.*

CLERICS LIBRARY

THEOLOGIANS

O. F. M.

PROV. S. BARBARAE

DOMINICA
SANCTISSIMAE TRINITATIS
DIEBUSQUE SEQUENTIBUS

Docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti.
Matth. 28, 19

Dominica. — Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est et qui erat et qui venturus est. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Dignus es, Domine Deus noster, accipere laudem, gloriam et honorem et benedictionem. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedicite omnia opera Domini Domino. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Laudem dicite Deo omnes servi eius et qui timetis Deum, pusilli et magni. Laudemus et superexaltemus cum in saecula.

Laudent illum gloriosum caeli et terra et omnis creatura, quae in caelo est et super terram

et quae subtus terram, mare et quae in eo sunt. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Omnipotens, sanctissime, altissime et summe Deus, summum bonum, omne bonum, totum bonum, qui solus es bonus, tibi reddamus omnem laudem, omnem gloriam, omnem gratiam, omnem honorem, omnem benedictionem, et omnia bona tibi referamus semper. Amen. *Laud.*

Feria secunda. — Ubique nos omnes, omni loco, omni hora et omni tempore, quotidie et continue credamus veraciter et humiliter et in corde teneamus et amemus, honoremus, adoremus, serviamus, laudemus et benedicamus, glorificemus et superexaltemus, magnificemus et gratias agamus altissimo et summo Deo aeterno, Trinitati et Unitati, Patri et Filio et Spiritui Sancto, Creatori omnium, Salvatori in se credentium et sperantium et diligentium eum, qui sine initio et sine fine, immutabilis, invisibilis, inenarrabilis, ineffabilis, incomprehensibilis, investigabilis, benedictus, laudabilis, gloriosus, superexaltatus, sublimis, excelsus, suavis, amabilis, delectabilis et totus semper super omnia desiderabilis est in saecula saeculorum. *Reg. I. 23.*

Feria tertia. — Hanc, vel talem exhortationem et laudem omnes fratres mei, quandocumque

placuerit eis, annuntiare possunt inter quoscumque homines, cum benedictione Dei:

Timete et honorate, laudate et benedicite, gratias agite et adorate Dominum Deum omnipotentem in Trinitate et Unitate, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, Creatorem omnium. *Reg. I. 21.*

Feria quarta. — Semper faciamus in nobis habitaculum et mansionem ipsi, qui est Dominus Deus omnipotens, Pater et Filius et Spiritus sanctus. *Reg. I. 22.*

IN FESTO
SANCTISSIMI CORPORIS CHRISTI
ET INFRA OCTAVAM SEQUENTEM

Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.
Ioann. 6, 56

Feria quinta. — O admiranda altitudo et stupenda dignatio! O humilitas sublimis! O sublimitas humilis, quod Dominus universitatis, Deus et Dei Filius, sic se humiliat, ut pro nostra salute sub modica panis formula se abscondat!

Videte, fratres humilitatem Dei et *effundite coram illo corda vestra* (Psalm. 61, 9), humiliamini et vos, et exaltemini ab eo. *Ep. II.*

Feria sexta. — Sicut sanctis apostolis apparuit Filius Dei in vera carne, ita et modo se nobis ostendit in sacro pane: et sicut ipsi intuitu carnis suae tantum carnem suam videbant, sed ipsum Deum esse credebant oculis spiritualibus contemplantes, sic et nos videntes panem et vinum oculis corporeis, videamus et credamus firmiter, eius sanctissimum corpus et sanguinem vivum esse et verum. *Adm. I.*

Sabbato. — Praesentes et absentes replet, qui eo digni sunt, Dominus Iesus Christus: qui licet in pluribus locis esse videatur, tamen indivisibilis manet et aliqua detrimenta non novit, sed unus ubique, sicut ei placet, operatur cum Domino Deo Patre et Spiritu sancto Paracleto in saecula saeculorum. Amen. *Ep. II.*

Dominica infra octavam. — *Panem nostrum quotidianum:* dilectum filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, *da nobis hodie:* in memoriam et intelligentiam et reverentiam amoris, quem ad nos habuit, et eorum quae pro nobis dicit, fecit et sustulit. *Laud.*

Feria secunda. — De laude (sanctissimi corporis et sanguinis Christi) ita omnibus gentibus annuntietis et praedicetis, ut omni hora et quando pulsantur campanae, semper, ab universo populo

omnipotenti Deo laudes et gratiae referantur per totam terram. *Ep. V.*

Feria tertia. — Omnes, qui vident sacramentum corporis Christi, quod sanctificatur per verba Domini super altare per manus sacerdotis in forma panis et vini, et non vident et credunt secundum spiritum et divinitatem, quod sit veraciter sanctissimum corpus et sanguis Domini nostri Iesu Christi, damnati sunt. *Adm. I.*

Feria quarta. — Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, et caelum exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus, Filius, Dei vivi. *Ep. II.*

Feria quinta. — Attendamus, omnes clerici, magnum peccatum et ignorantiam, quam quidam habent super sanctissimum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi et sacratissima nomina et verba eius scripta, quae sanctificant corpus. Scimus, quia non potest esse corpus, nisi prius sanctificetur a verbo. Nihil enim habemus et videmus corporaliter in hoc saeculo de ipso Altissimo, nisi corpus et sanguinem, nomina et verba, per quae facti sumus et redempti de morte ad vitam. *De rev.*

In Festo Ss.mi Cordis Iesu. — *Adveniat regnum tuum:* ut tu regnes in nobis per gratiam et facias nos venire ad regnum tuum, ubi est tui visio manifesta, tui dilectio perfecta, tui societas beata, tui fruitio sempiterna. *Laud.*

Sabbato. — Deprecor omnes vos, fratres, cum osculo pedum et ea caritate, qua possum, ut omnem reverentiam et omnem honorem, quantumcumque poteritis, exhibeatis sanctissimo corpori et sanguini Domini nostri Iesu Christi, *in quo quae in caelis et quae in terris sunt pacificata* sunt et *reconciliata* (Col. 1, 20) omnipotenti Deo. *Ep. II.*

DOMINICA III
POST PENTECOSTEN
ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Erant appropinquantes
ei publicani et peccatores.
Luc. 15, 1

Dominica. — Fratres, in quibuscumque locis sunt, si non possunt vitam nostram observare, quam citius possunt, recurrant ad suum ministrum, hoc ipsi significantes. Minister vero taliter eis studeat providere, sicut ipse vellet sibi fieri, si in consimili casu esset. *Reg. I. 6.*

Feria secunda. — Si, quis ministrorum, alicui fratrum aliquid contra vitam nostram praeceperit vel contra animam suam, frater non teneatur ei obedire; quia illa obedientia non est in qua delictum vel peccatum committitur. *Reg. I. 5.*

Feria tertia. — Si praelatus praecipiat aliquid subdito contra animam suam, licet ei non obediat, tamen ipsum non dimittat; et si ab aliquibus inde persecutionem sustinuerit, magis eos diligat propter Deum. *Adm. III.*

Feria quarta. — Nullus homo teneatur ex obedientia obedire alicui in eo, ubi committitur peccatum vel delictum. *Ep. I.*

Feria quinta. — Omnes Fratres, quotiescumque declinaverint a mandatis Domini et extra obedientiam evagaverint, sicut dicit propheta (Cfr. Psalm. 118, 21.), sciant, se esse maledictos extra obedientiam, quoadusque steterint in tali peccato scienter. *Reg. I. 5.*

Feria sexta. — Indulgeat tibi Dominus, frater. Sed caveas de caetero ne sub specie sanctitatis a tua religione et fratribus separeris. *Cel. II. 33.*

Sabbato. — Praecipio firmiter per obedientiam Fratribus universis, quod, ubicumque sunt, non audeant petere aliquam litteram in curia Romana per se neque per interpositam personam neque pro ecclesia neque pro alio loco, neque sub specie praedicationis neque pro persecutione suorum corporum, sed, ubicumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendam poenitentiam cum benedictione Dei. *Testam.*

DOMINICA IV
POST PENTECOSTEN
ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Ex hoc iam homines eris capiens.
Luc. 5, 10

Dominica. — Dominus dedit mihi et dat tantam fidem in sacerdotibus, qui vivunt secundum formam sanctae Romanae Ecclesiae, propter ordinem ipsorum, quod, si facerent mihi persecutionem volo recurrere ad ipsos. — *Testament.*

Feria secunda. — Beatus servus Dei, qui portat fidem in clericis, qui vivunt recte secundum formam sanctae Romanae Ecclesiae. *Adm. XXVI.*

Feria tertia. — Videte dignitatem vestram, fratres sacerdotes, *et estote sancti, quia ipse sanctus est* (Lev. 11, 44). Et, sicut super omnes propter hoc mysterium honoravit vos Dominus Deus, ita et vos super omnes ipsum diligite, reveremini et honorate. Magna miseria et miseranda infirmitas, quando ipsum sic praesentem habetis et vos aliquid aliud in toto mundo curatis. *Ep. II.*

Feria quarta. — Si sancto cuiquam de caelo venienti, et pauperculo alicui sacerdoti simul me

contingeret obviare, praevenirem honore presbyterum, et ad manus eius deosculandas citius me conferrem. Dicerem enim: Oi! expecta, sancte Laurenti, quia manus huius Verbum vitae contrectant et ultra humanum aliquid possident. *Cel. II. 201.*

Feria quinta. — Rogo in Domino omnes fratres meos, qui sunt et erunt et esse cupiunt sacerdotes Altissimi, quatenus, cum missam celebrare voluerint, puri pure facient cum reverentia verum sacrificium sanctissimi corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi sancta intentione et munda, non pro ulla terrena re neque timore vel amore alicuius hominis, *quasi placentes hominibus* (Eph. 6, 6; Col. 3, 22). Sed omnis voluntas, quantum adiuvat gratia Omnipotentis, ad eum dirigatur, soli ipsi summo Domino inde placere desiderans, quia ipse ibi solus operatur, sicut sibi placet; quoniam, sicut ipse dicit: *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 22, 19) si quis aliter fecerit, Iudas traditor efficitur et *reus fit corporis et sanguinis Domini* (I. Cor. 11, 27) *Ep. II.*

Feria sexta. — Recordamini, fratres mei sacerdotes, quod scriptum est de lege Moysi, quam transgredientes etiam in corporalibus *sine ulla miseratione* per sententiam Domini *moriebantur. Quanto maiora et deteriora meretur pati supplicia, qui Filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit.* (Hebr. 10, 28-29). *Ep. II.*

Sabbato. — Vae illis, qui clericos despiciunt; licet enim sint peccatores, tamen nullus debet eos iudicare, quia ipse solus Dominus reservat sibi ipsos ad iudicandum. Nam quantum maior est omnibus administratio eorum, quam habent de sanctissimo corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi, quod ipsi recipiunt et ipsi soli aliis administrant, tantum plus peccatum habent qui peccant in ipsis, quam in omnibus aliis hominibus istius mundi. *Adm. XXVI.*

DOMINICA V POST PENTECOSTEN

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.
Matth. 5, 22

Dominica. — Ille veraciter diligit inimicum suum, qui non dolet de iniuria, quam sibi facit, sed de peccato animae suae uritur propter amorem Dei, et ostendit ei ex operibus dilectionem. *Adm. IX.*

Feria secunda. — Cavere debent, ne irascantur et conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt caritatem. *Reg. II. 7.*

Feria tertia. — Quocumque modo aliqua persona peccaret, et propter hoc servus Dei, nisi ex caritate, turbaretur et irasceretur, thesaurizat sibi culpam. *Adm. XI.*

Feria quarta. — Qui vere pauper est spiritu, se ipsum odit, et eos diligit, qui eum percutiunt in maxillam. *Adm. XIV.*

Feria quinta. — Multi sunt, qui orationibus et officiis insistentes multas abstinentias et afflictiones in suis corporibus faciunt, sed de solo verbo, quod videtur esse iniuria suorum corporum, vel de aliqua re, quae eis aufertur, scandalizati continuo perturbantur. Hi non sunt pauperes spiritu. *Adm. XIV.*

Feria sexta. — Ille servus, qui non irascitur neque conturbat se pro aliquo, recte vivit et sine peccato. *Adm. XI.*

Sabbato. — *Et dimitte nobis debita nostra:* per tuam misericordiam ineffabilem, per passionis dilecti Filii tui Domini nostri Iesu Christi virtutem et per beatissimae Mariae Virginis et omnium electorum tuorum merita et intercessionem *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris:* et quod non plene dimittimus, tu, Domine, fac nos plene dimittere, ut inimicos propter te veraciter diligamus et pro eis apud te devote intercedamus, nulli malum pro malo reddamus et omnibus in te prodesse studeamus. *Laud.*

DOMINICA VI
POST PENTECOSTEN

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Et manducaverunt, et saturati sunt, et sustulerunt quod superaverat de fragmentis.
Marc. 8, 8

Dominica. — Sanctissima mysteria super omnia volo honorari, venerari et in locis pretiosis collocari. Sanctissima nomina et verba eius scripta, ubicumque invenero in locis illicitis, volo colligere et rogo, quod colligantur et in loco honesto collocentur. *Testament.*

Feria secunda. — Omnes, qui ministrant sanctissima mysteria, considerent intra se, maxime hi, qui indiscrete ministrant, quam viles sint calices, corporalia et linteamina, ubi sacrificatur corpus et sanguis Domini nostri Iesu Christi. Et a multis in locis vilibus relinquitur et miserabiliter per viam portatur et indigne sumitur et indiscrete aliis ministratur..... Non movemur de his omnibus pietate, cum ipse pius Dominus in manibus nostris se praebeat, ut eum tractemus et sumamus quotidie per os nostrum? An ignoramus, quia debemus venire in manus eius? Igitur de his omnibus et aliis cito et firmiter emendemus. *De rev.*

Feria tertia. — Ubicumque fuerit sanctissimum corpus Domini nostri Iesu Christi illicite collocatum et relictum, removeatur de loco illo et in loco pretioso ponatur et consignetur. *De rev. corp. Dni.*

Feria quarta. — Nomina et verba Domini scripta aliquando pedibus conculcantur, quia *animalis homo non percipit ea, quae Dei sunt* (I. Cor. 2, 14)..... Ubicumque inveniantur in locis immundis, colligantur et in loco honesto debeant collocari. *De rev.*

Feria quinta. — Quia, *qui ex Deo est verba Dei audit* (Ioan. 8, 47), debemus proinde nos, qui specialius divinis sumus officiis deputati, non solum audire et facere quae dicit Deus, verum etiam ad insinuandam in nobis altitudinem Creatoris nostri et in ipso subiectionem nostram, vasa et officialia cetera custodire, quae continent verba sua sancta. *Ep. II.*

Feria sexta. — Moneo fratres meos omnes et in Christo conforto, quatenus, ubicumque invenerint divina verba scripta, sicut possunt, venerentur et, quantum ad eos spectat, si non sunt reposita bene vel inhoneste iacent in loco aliquo dispersa colligant et reponant honorantes in sermonibus Dominum, qui locutus est. Multa enim *sanctificantur per verba Dei* (I. Tim. 4, 5), et in virtute verborum Christi altaris conficitur sacramentum. *Ep. II.*

Sabbato. — Rogo vos plus quam de me ipso, quatenus, cum decet et videritis expedire, clericis humiliter supplicetis, quod sanctissimum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi et sancta nomina et verba eius scripta, quae sanctificant corpus, super omnia debeant venerari. Calices, corporalia, ornamenta altaris et omnia, quae pertinent ad sacrificium, preciosa habere debeant. Et, si in aliquo loco sanctissimum corpus Domini fuerit pauperrime collocatum, iuxta mandatum Ecclesiae in loco pretioso ab eis ponatur et consignetur et cum magna veneratione portetur et cum discretione aliis ministretur. *Ep. V.*

DOMINICA VII
POST PENTECOSTEN
ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Ex fructibus eorum cognoscetis eos.
Matth. 7, 20

Dominica. — Illud mihi, fili, carius, illud dulcius acceptiusque semper exstitit et existit, quod Domino Deo meo magis in me et de me fieri placet, cuius utique voluntati solum semper desidero concors et obediens per omnia inveniri. *Cel. I. 107.*

Feria secunda. — Beatus servus, qui semper permanet sub virga correctionis. *Adm. XXIV.*

Feria tertia. — Ille homo reliquit omnia, quae possidet, et perdit corpus suum et animam suam, qui se ipsum totum praebet ad obedientiam in manibus sui praelati; et quidquid facit aut dicit, quod ipse sciat, quod non sit contra voluntatem eius, dummodo bonum sit quod facit, vera obedientia est. *Adm. III.*

Feria quarta. — Si quando subditus videat meliora et utiliora animae suae, quam illa, quae praelatus sibi praecipit: suam voluntatem Deo sacrificet, quae autem sunt praelati, opere studeat adimplere. Nam haec est vera et caritativa obedientia, quae Deo et proximo satisfacit. *Adm. III.*

Feria quinta. — Qui prius persecutionem sustinet, quam velit a suis fratribus separari, vere permanet in perfecta obedientia, qui *ponit animam suam* (Ioan. 15, 13.) pro fratribus suis. *Adm. III.*

Feria sexta. — Beatus servus, qui disciplinam, accusationem et reprehensionem ita patienter ab alio subtinet, sicut a semetipso. *Adm. XXIII.*

Sabbato. — Et licet (fratres) dicantur hipocritae, non tamen cessent benefacere. *Reg. I. 2.*

DOMINICA VIII
POST PENTECOSTEN
ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Redde rationem villicationis tuae.
Luc. 16, 2.

Dominica. — Ubi caritas est et sapientia, ibi nec timor nec ignorantia. *Adm. XXVII.*

Feria secunda. — Pro furto mihi reputo a magno Eleemosynario, si hoc quod fero, non dedero magis egenti. *S. Bonav. 8, 5.*

Feria tertia. — Non licet, fili, alienum auferre: peccati poena, non meriti gloria est aliena donare. *Cel. II. 68.*

Feria quarta. — Videte, quid hic facit avarus: plenus ipse et satur, famelicis fratribus invidet. Mala adhuc morte necabitur. *Cel. II. 47.*

Feria quinta. — De mercede laboris pro se et suis fratribus corporis necessaria recipiant praeter denarios vel pecuniam, et hoc humiliter, sicut decet servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores. *Reg. II. 5.*

Feria sexta. — Quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynam ostiatim. *Testam.*

Sabbato. — Multum caveamus a malitia et subtilitate satanae, qui vult, ne homo mentem suam et cor habeat ad Dominum Deum; et circumiens desiderat cor hominis sub specie alicuius mercedis vel adiutorii tollere, et suffocare verbum et praecepta Domini a memoria, et vult cor hominis per saecularia negotia et curam excaecare et ibi habitare. *Reg. I. 22.*

DOMINICA IX
POST PENTECOSTEN
ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Ingressus in templum, caepit eiicere vendentes in illo et ementes. *Luc. 19, 45*

Dominica. — Dominus praecipit in Evangelio: *Videte, cavete ab omni* malitia et *avaritia; et attendite vobis* a sollicitudinibus huius saeculi et *a curis huius vitae* (Luc. 12, 15; et 21, 34). Unde, nullus fratrum, ubicumque sit et quocumque vadit, aliquo modo tollat nec recipiat nec

recipi faciat pecuniam aut denarios, nec occasione vestimentorum nec librorum nec pro pretio alicuius laboris, immo nulla occasione nisi propter manifestam necesitatem infirmorum fratrum. *Reg. I. 8.*

Feria secunda. — Si in aliquo loco invenerimus denarios, de his non curemus tamquam de pulvere, quam pedibus calcamus. *Reg. I. 8.*

Feria tertia. — Illos vult diabolus obcaecare, qui pecuniam appetunt vel reputant lapidibus meliorem. *Reg. I. 8.*

Feria quarta. — Caveant multum a pecunia. *Reg. I. 8.*

Feria quinta. — Praecipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam. *Reg. II. 4.*

Feria sexta. — Pecunia servis Dei nihil aliud est, quam diabolus, et coluber venenosus. *S. Bonav. 7. 5.*

Sabbato. — Caveant omnes fratres, ut pro nullo turpi lucro terras circumeant *Reg. I. 8.*

DOMINICA X
POST PENTECOSTEN
ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Omnis, qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur.
Luc. 18, 14

Dominica. — Videor mihi maximus peccatorum. Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus arbitror sane, quod multo quam ego Deo gratior esset. *S. Bonav. 6, 6.*

Feria secunda. — Beatus servus, qui non tenet se meliorem, quando magnificatur et exaltatur ab hominibus, sicuti quando tenetur vilis et simplex et despectus. *Adm. XX.*

Feria tertia. — Beatus servus, qui non est velox ad se excusandum et humiliter sustinet verecundiam et reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam. *Adm. XXIII.*

Feria quarta. — Beatus ille, qui ita inventus fuerit humilis inter subditos suos, sicuti quando esset inter dominos suos. *Adm. XXIV.*

Feria quinta. — Nullus minister vel praedicator appropriet sibi ministerium fratrum vel officium praedicationis, sed quacumque hora ei iniunctum fuerit, sine omni contradictione dimittat suum officium. *Reg. I. 17.*

Feria sexta. — Interrogantibus humiliter rerespondete, *persequentibus benedicite* (Rom. 12, 14), vobis iniuriantibus et calumniam inferentibus gratias agite, quia pro his regnum nobis praeparatur aeternum. *Cel. I. 29.*

Sabbato. — Quicumque ad fratres venerit amicus vel adversarius, fur vel latro, benigne recipiatur. *Reg. I. 7.*

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Et loquebatur recte.
Marc. 7, 35

Dominica. — Non debemus secundum carnem esse sapientes atque prudentes, sed magis debemus esse simplices, humiles et puri. *Ep. I.*

Feria secunda. — Fratres mei, qui scientiae curiositate ducuntur, in die retributionis manus invenient vacuas. Vellem eos magis roborari virtutibus, ut, cum tempora tribulationis venirent, secum haberent in angustia Dominum. *Cel. II. 195.*

Feria tertia. — Dicit Apostolus: *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (2. Cor. 3,6)... Illi religiosi sunt mortui a littera, qui spiritum divinae litterae nolunt sequi, sed sola verba magis cupiunt scire et aliis interpretari *Adm. VII.*

Feria quarta. — Dicit Apostolus: *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* (2. Cor. 3, 6) Illi sunt mortui a littera, qui tantum sola verba cupiunt scire, ut sapientiores teneantur inter alios et possint acquirere magnas divitias et dare consanguineis et amicis. *Adm. VII.*

Feria quinta. — Vae illi religioso, qui delectat se in verbis otiosis et inanibus et cum his perducit homines ad risum. *Adm XXI.*

Feria sexta. — Praedicator vanus et loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscet (in iudicio) se nil proprii habere in eis. *S. Bonav. 8, 2.*

Sabbato. — Mihi quidem placet (quod litterati iam recepti ad Ordinem intenderent studio sacrae scripturae), dum tamen exemplo Christi, qui magis orasse legitur quam legisse, orationis studium non omittant nec tantum studeant, ut

sciant, qualiter debeant loqui, sed ut audita faciant, et cum fecerint, aliis facienda proponant. *S. Bonav. 11, 1.*

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Et proximum tuum sicut teipsum.
Luc. 10, 27

Dominica. — Fratres diligant se ad invicem, sicut Dominus dicit: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (Ioan. 15, 12). Et *ostendant ex operibus* (Iac. 2, 18). dilectionem, quam debent ad invicem, sicut dicit apostolus: *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate* (I. Ioan. 3, 18). *Reg. I. 11.*

Feria secunda. — Volo, ut fratres mei filios eiusdem matris ostendant se, et, quod tunicam, vel cordam, seu quidquid unus petierit, alter liberaliter tribuat. Libros et placentia quaeque sibi communicent, quin potius cogat unus alterum tollere. *Cel. II. 180.*

Feria tertia. — Ubicumque sunt et se inverint fratres, ostendant se domesticos invicem

inter se. Et secure manifestet unus alteri necessitatem suam, quia, si mater nutrit et diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere et nutrire fratrem suum spiritualem? *Reg. II. 6.*

Feria quarta. — Ubicumque sunt Fratres et in quocumque loco se invenerint, spiritualiter et diligenter debeant se revereri et honorare ad *invicem sine murmuratione* (I. Petr. 4, 9). *Reg. I. 7.*

Feria quinta. — Faciamus *fructus dignos poenitentiae* (Luc. 3, 8). Et diligamus proximos sicut nosmetipsos; et si quis non vult vel non potest eos diligere sicut se ipsum, saltem non inferat eis mala, sed faciat eis bona. *Ep. I.*

Feria sexta. — Dico tibi, sicut possum, de facto animae tuae, quod ea quae te impediunt amare Dominum Deum, et quicumque tibi impedimentum fecerit, sive fratres sive alii, etiam si te verberarent, omnia debes habere pro gratia. Et ita velis et non aliud. Et hoc sit tibi per veram obedientiam Domini Dei et meam, quia firmiter scio, quod illa est vera obedientia. Et dilige eos qui ista faciunt tibi, et non velis aliud ab eis, nisi quantum Dominus dederit tibi, et in hoc dilige eos, ut velis, quod sint meliores christiani. Et istud sit tibi plus quam eremitorium. *Ep. III.*

Sabbato. — Domina sancta caritas, Dominus te salvet cum tua sorore sancta obedientia... Sancta caritas confundit omnes diabolicas et carna-

les tentationes et omnes carnales timores. Sancta obedientia confundit omnes corporales et carnales voluntates et habet mortificatum corpu suum ad obedientiam spiritus et ad obedientiam fratris sui et facit hominem subditum omnibus hominibus huius mundi, et non tantum hominibus, sed etiam omnibus bestiis et feris, ut possint facere de eo quidquid voluerint, quantum fuerit eis datum desuper a Domino. *Salut. virt.*

DOMINICA XIII POST PENTECOSTEN

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Ite, ostendite vos sacerdotibus.
Luc. 17, 14

Dominica. — Si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos sacerdotes huius saeculi, in parochiis, in quibus morantur, nolo praedicare ultra voluntatem ipsorum. Et ipsos et omnes alios volo timere, amare et honorare sicut meos dominos; et nolo in ipsis considerare peccatum, quia Filium Dei discerno in ipsis, et domini mei sunt. Et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc

saeculo de ipso altissimo Filio Dei, nisi sanctissimum corpus et sanguinem suum, quod ipsi recipiunt et ipsi soli aliis administrant. *Testament.*

Feria secunda. — Omnes clericos et omnes religiosos habeamus pro dominis, in his quae spectant ad salutem animae, et a nostra religione non deviant; et ordinem et officium eorum et administrationem in Domino veneremur. *Reg. I. 19.*

Feria tertia. — Firmiter sciamus omnes, quia nemo potest salvari nisi per sanguinem Domini nostri Iesu Christi et per sancta verba Domini, quae clerici dicunt et annuntiant et administrant et ipsi soli administrare debent et non alii. *Ep. I.*

Feria quarta. — Omnes theologos et qui ministrant sanctissima verba divina debemus honorare et venerari sicut qui ministrant nobis spiritum et vitam. *Testament.*

Feria quinta. — Debemus ecclesias visitare frequenter et revereri clericos, non tantum propter eos, si sunt peccatores, sed propter officium et administrationem sanctissimi corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi, quod sacrificant in altari, et recipiunt, et aliis administrant. *Ep. I.*

Feria sexta. — In adiutorium clericorum missi sumus ad animarum salutem, ut quod in illis minus invenitur suppleatur a nobis..... Tegite eorum casus, supplete defectus, et cum haec feceritis, humiliores estote. *Cel. II. 146.*

Sabbato. — Scitote, fratres, animarum fructum Deo gratissimum esse, meliusque illum consequi posse pace, quam discordia clericorum. Quod si ipsi salutem impediunt populorum, Dei est ultio et ipse retribuet eis in tempore. Ideo estote subiecti praelatis, ne quantum ex vobis est zelus aliquis surgat. Si filii pacis fueritis, clerum et populum Deo lucrabimini, quod acceptabilius iudicat Dominus, quam populum solum, clero scandalizato, lucrari. *Cel. II. 146.*

DOMINICA XIV POST PENTECOSTEN

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Respicite volatilia caeli.
Matth. 6, 26

Dominica. — Fratres mei, volucres, multum debetis laudare Creatorem vestrum et ipsum diligere semper, qui dedit vobis plumas ad induendum, pennas ad volandum, et quidquid necesse fuit vobis. Nobiles vos fecit Deus inter creaturas suas et in puritate aëris vobis contulit mansionem quoniam cum neque seminetis, neque metetis, ipse nihilominus sine omni vestra sollicitudine vos protegit et gubernat. *Cel. I. 58.*

Feria secunda. — Quidem rex cum quadam muliere paupercula, sed formosa, ob eius decorem matrimonium contrahens filios ex ea venustissimos genuit. Quos idem rex adultos, sibique a matre, ut pasceret, missos, cum eos suos esse filios sibique consimiles cognovisset, amplexans dixit: Mei estis filii et heredes, nolite timere, si enim de mensa nutriuntur extranei, iustum est eos faciam nutriri, quibus tota de iure debetur hereditas. Fratres pauperes Christi et religionis pauperis sunt filii. *Bessa, 4.*

Feria tertia. — Non est formidandum, quod fame pereant aeterni Regis filii et heredes, qui ad imaginem Regis Christi per Spiritus sancti virtutem de paupere matre nati, et ipsi per spiritum paupertatis sunt in Religione paupercula generandi. Si enim Rex caelorum imitatoribus suis regnum promittit aeternum, quanto magis illa subministrabit, quae communiter largitur bonis et malis. *S. Bonav. 3, 10.*

Feria quarta. — Confido in Domino Iesu Christo, quoniam ipse qui promittit nobis dare in caelo vitam et gloriam, non subtrahet nobis in terra sustentationem corporum necessariam tempore opportuno. *Bessa, 4.*

Feria quinta. — Caveant sibi fratres, ut ecclesias, habitacula paupercula et omnia alia, quae pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent, sicut decet sanctam paupertatem,

quam in regula promisimus, semper ibi hospitantes sicut advenae et peregrini. *Testament.*

Feria sexta. — Citius de tugurio quam de palatio in caelum ascenditur. *Cel. I. 42.*

Sabbato. — Si possessiones aliquas haberemus, arma ad protegendum necessaria nobis essent, quia quaestiones et lites plurimae inde oriuntur, de quibus Dei ac Christi solet dilectio impediri. *Bessa, 4.*

DOMINICA XV POST PENTECOSTEN

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Ecce defunctus efferebatur.
Luc. 7. 12

Dominica. — Considerate et videte, quoniam *dies mortis appropinquat* (Gen. 47, 29). Rogo ergo vos cum reverentia, sicut possum, me propter curas et sollicitudines huius saeculi, quas habetis, Dominum oblivioni tradatis et a mandatis eius declineatis. *Ep. IV.*

Feria secunda. — Beati qui moriuntur in poenitentia, quia erunt in regno caelorum. Vae

illis, qui non moriuntur in poenitentia, quia erunt filii diaboli, cuius opera faciunt, et ibunt in ignem aeternum. *Reg. I. 21.*

Feria tertia. — Videte, caeci, decepti ab inimicis vestris, scilicet a carne, a mundo et a diabolo, quia corpori dulce est facere peccatum et amarum servire Deo, quia omnia vitia et peccata *de corde hominis exeunt et procedunt* (Matth, 15, 19) sicut dicitur in Evangelio. Et nihil boni habetis in hoc saeculo neque in futuro. Putatis diu possidere vanitates huius saeculi, sed decepti estis, quia veniet dies et hora, de quibus non cogitatis et nescitis et ignoratis. *Ep. I.*

Feria quarta. — Infirmatur corpus, mors appropinquat, veniunt propinqui et amici dicentes: Dispone tua. Et uxor eius et filii eius, propinqui et amici fingunt flere et respiciens videt eos flentes et movetur malo motu et cogitando intra se dicit: Ecce, animam et corpus meum et omnia mea pono in manibus vestris. Vere iste homo est maledictus, qui confidit et exponit animam suam et corpus et omnia sua in talibus manibus. Unde dicit Dominus per prophetam: *Maledictus homo, qui confidit in homine* (Ierem. 17, 5). Et statim faciunt venire sacerdotem; et dicit ei sacerdos: Vis recipere poenitentiam de omnibus peccatis tuis? Repondet: Volo. Vis satisfacere de commissis et his quae fraudasti et decepisti homines, sicut potes, de tua substantia? Respondet: Non. Et sacerdos ait: Quare non? Quia omnia disposui in manibus propinquorum et amicorum

meorum. Et incipit perdere loquelam, et sic moritur ille miser amara morte. *Ep. I.*

Feria quinta. — Sciant omnes, quod, ubicumque et qualitercumque homo moriatur in criminali peccato sine satisfactione, et potest satisfacere et non satisfacit, diabolus rapit animam suam de corpore suo cum tanta angustia et tribulatione, quantam nullus scire potest, nisi qui recipit. Et omnia talenta et potestas, scientia et sapientia, quam *ipse putabat habere, auferuntur ab eo* (Luc. 8, 18). Et propinqui et amici tollunt substantiam eius et dividunt et dicunt postea: Maledicta sit anima eius, quia plura potuit nobis dare et acquirere, quam acquisivit. Vermes vero comedunt corpus. Et sic perdit animam et corpus in hoc brevi saeculo et vadit in inferno, ubi cruciabitur sine fine. *Ep. I.*

Feria sexta. — Homines omnia perdunt, quae in hoc saeculo relinquunt, secum tamen portant caritatis mercedem et eleemosynas, quas fecerunt, de quibus habebunt a Domino praemium et dignam remunerationem. *Ep. I.*

Sabbato. — Odio habeamus corpus nostrum cum suis vitiis et peccatis, quia carnaliter vivendo vult nobis auferre amorem Domini nostri Iesu Christi et vitam aeternam, et se ipsum cum omnibus perdere in infernum: quia nos per culpam nostram sumus foetidi, miseri et bono contrarii, ad mala autem prompti et voluntarii. *Reg. I. 22.*

DOMINICA XVI
POST PENTECOSTEN
ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco. *Luc. 14, 8*

Dominica. — Numquam debemus desiderare esse super alios, sed magis debemus esse servi et *subditi omni humanae creaturae propter Deum* (I. Petr. 2, 13) *Ep. I.*

Feria secunda. — Non mihi videor frater minor, nisi fuero in statu, quem tibi descripsero. Ecce, praelatus existens fratrum, vado ad capitulum, praedico et commoneo fratres, et in fine dicitur contra me: « Non convenis nobis, quia illiteratus es, elinguis, idiota et simplex »; tandem eiicior cum opprobrio, vilipensus ab omnibus. Dico tibi, nisi eodem vultu, eadem mentis laetitia et eodem sanctitatis proposito haec verba audiero, frater minor nequaquam sum. *S. Bonav. 6, 5.*

Feria tertia. — In praelatione casus, in laude praecipitium, in humilitate subditi animae lucrum est. Cur ergo periculis plus quam lucris attendimus, cum acceperimus tempus ad lucrum? *S. Bonav. 6, 5.*

Feria quarta. – Illi, qui sunt super alios constituti, tantum de illa praelatione glorientur, quantum si essent in abluendi fratrum pedes officio deputati ; et quanto magis turbantur de ablata sibi praelatione, quam pedum officio, tanto magis sibi loculos ad periculum animae componunt. *Adm. IV.*

Feria quinta. — Beatus ille servus, qui non per suam voluntatem ponitur in alto et semper desiderat subesse pedibus aliorum. *Adm. XX.*

Feria sexta. — Vae illi religioso, qui ab aliis positus est in alto, et per suam voluntatem non vult descendere. *Adm. XX.*

Sabbato. — Fratres non habeant aliquam potestatem vel dominationem maxime inter se. Sicut enim Dominus dicit in Evangelio : *Principes gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt potestatem exercent in eos* (Matth. 20, 25), non sic erit inter fratres : sed *quicumque voluerit inter eos maior fieri sit eorum minister* (Matth. 23, 11) et servus ; et *qui maior est inter eos fiat sicut minor* (Luc. 22, 26) *Reg. I. 5.*

DOMINICA XVII
POST PENTECOSTEN
ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Diliges Dominum Deum tuum.
Matt. 22, 37

Dominica. — Omnes diligamus *ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota virtute et fortitudine, ex toto intellectu* et *omnibus viribus*, toto nisu, toto affectu, totis visceribus, totis desideriis et voluntatibus Dominum Deum, qui totum corpus, totam animam et totam vitam dedit et dat omnibus nobis, qui nos creavit et redemit et sola sua misericordia salvabit, qui nobis miserabilibus et miseris, putridis et foetidis, ingratis et malis omnia bona fecit et facit. *Reg. I. 23.*

Feria secunda. — In sancta *caritate*, *quae Deus est* (I. Ioan. 4, 16), rogo omnes fratres tam ministros quam alios, ut omni impedimento remoto et omni cura et sollicitudine postposita, quocumque modo melius possunt, debeant servire, amare, adorare et honorare Dominum Deum mundo corde et pura mente, quod ipse super omnia quaerit. *Reg. I. 22.*

Feria tertia. — O quam beati et benedicti sunt illi, qui Dominum diligunt et faciunt sicut

dicit ipse Dominus in Evangelio: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et proximum tuum sicut te ipsum.* (Matth. 22, 37, 39) *Ep. I.*

Feria quarta. — Si supernae patriae flamma per desiderium contingeremur interius, frigus istud exterius facile portaremus. *S. Bonav. 5, 2.*

Feria quinta. — Debemus observare praecepta et consilia Domini nostri Iesu Christi. *Ep. 1.*

Feria sexta. — Ubi est timor Domini ad atrium suum custodiendum, ibi inimicus non potest habere locum ad ingrediendum. *Adm. XXVII.*

Sabbato. — *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra:* ut amemus te ex toto corde te semper cogitando, ex tota anima te semper desiderando, ex tota mente omnes intentiones nostras ad te dirigendo et honorem tuum in omnibus quaerendo, et ex omnibus viribus nostris omnes vires et sensus animae et corporis in obsequium tui amoris et non in alia expendendo. Et proximos nostros amemus sicut et nosmetipsos, omnes ad amorem tuum pro viribus trahendo, de bonis aliorum sicut de nostris gaudendo et in malis compatiendo et nemini ullam offensionem dando *Laud.*

DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. *Matth. 9, 2*

Dominica. — Beatus ille frater, qui tantum diligeret fratrem suum infirmum, qui non potest ei satisfacere, quantum diligit sanum, qui potest ei satisfacere. *Adm. XXV.*

Feria secunda. — Si quis (fratrum) in infirmitatem ceciderit, alii fratres debeant ei servire, sicut vellent sibi serviri. *Reg. II. 6.*

Feria tertia. — Pro necessitatibus infirmorum et aliis fratribus induendis per amicos spirituales ministri tantum et custodes sollicitam curam gerant secundum loca et tempora et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire. *Reg. II. 4.*

Feria quarta. — Ubi est misericordia et discretio: ibi nec superfluitas, nec induratio. *Adm. XXVII.*

Feria quinta. — Si (frater infirmus) turbabitur vel irascetur sive contra Deum, sive contra fratres vel forte postulaverit sollicite medicinas

nimis desiderans liberare carnem cito morituram, quae est animae inimica, a malo sibi evenit et carnalis est, et non videtur esse de fratribus, qui plus diligit corpus quam animam. *Reg. I, 10.*

Feria sexta. — Rogo fratrem infirmum, ut referat de omnibus gratias Creatori; et qualem vult eum Dominus, talem se esse desideret sive sanum sive infirmum, quia omnes, quos Deus *ad vitam praeordinavit aeternam* (Act. 13, 48), flagellorum atque infirmitatum stimulis et compunctionis spiritu erudit, sicut Dominus dicit: *Ego quos amo arguo et castigo.* (Apoc. 3, 19.) *Reg. I. 10.*

Sabbato. — Ubi patientia et humilitas: ibi nec ira, nec perturbatio. *Adm. XXVII.*

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN

ET INFRA HEDOMADAM SEQUENTEM

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.
Matth. 22, 14

Dominica. — Cavete et abstinete ab omni malo et perseverate usque in finem in bono. *Reg. I, 21.*

Feria secunda. — Bonum est multa dimittere: ne laedatur opinio. *Cel. II. 126.*

Feria tertia. — Cave, frater, ne sub humilitatis specie mentiaris. *Cel. II. 39.*

Feria quarta. — Quid mirum, si turpi sarcina praegravetur, qui ferre non vult Dominum maiestatis. *Cel. II. 34.*

Feria quinta. — Propter peccatum ingratitudinis semper peiora prioribus inferuntur. *S. Bonav. 11, 5.*

Feria sexta. — Levi mercede rem impretiabilem contingit amittere, et illum, qui dedit, ad iterum non dandum facile provocare. *Cel. II. 99.*

Sabbato. — O, si poterit fieri, ut mundus, raro fratres minores aspiciens, parcitatem miretur. *Bessa, 4.*

DOMINICA XX
POST PENTECOSTEN
ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Vade, filius tuus vivit.
Ioann. 4, 50.

Dominica. — Audite, Domini filii et fratres mei, et *auribus percipite verba mea* (Act. 2, 14) *inclinate aurem* (Isai 55, 3) cordis vestri et obedite voci Filii Dei. Servate in toto corde vestro mandata eius et consilia eius perfecta mente implete. *Ep. II.*

Feria secunda. — Quando (fratres) perseverant in mandatis Domini, quae promiserunt per sanctum Evangelium et vitam ipsorum, sciant, se in vera obedientia stare, et benedicti sint a Domino. *Reg. I. 5.*

Feria tertia. — Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam domino papae Honorio ac successoribus eius canonice intrantibus et Ecclesiae Romanae. *Reg. II. 1.*

Feria quarta. — Debemus nosmetipsos abnegare et ponere corpora nostra sub iugo servitutis et sanctae obedientiae, sicut unusquisque promisit Domino. *Ep. I.*

Feria quinta. — Semper subditi et subiecti pedibus sanctae Ecclesiae, stabiles in fide catholica, paupertatem et humilitatem et sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus. *Reg II. 12.*

Feria sexta. — Scio obedientiae fructum, et quod nihil transeat temporis sine lucro, qui alterius iugo colla submiserit. *Cel. II. 151.*

Sabbato. — Tolle corpus exanime et ubi placuerit pone: videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si statuatur in cathedra, non alta, sed ima respiciet, si collocetur in purpura, duplo pallescet. Hic verus obediens est, qui, cur moveatur, non diiudicat; ubi locetur, non curat; ut transmutetur non instat; evectus ad officium, solitam tenet humilitatem; plus honoratus, plus reputat se indignum. *S. Bonav. 6, 4.*

DOMINICA XXI
POST PENTECOSTEN
ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Nonne oportuit et te misereri conservi tui.
Matth. 18, 33

Dominica. — In hoc volo cognoscere, si diligis Dominum et me servum suum et tuum, si feceris istud, scilicet quod non sit aliquis frater in mundo, qui peccaverit, quantumcumque potuerit peccare, quod, postquam viderit oculos tuos, unquam recedat sine misericordia tua, si quaerit misericordiam; et si non quaereret misericordiam, tu quaeras ab eo, si vult misericordiam. Et, si millies postea appareret coram oculis tuis, dilige eum plus quam me, ad hoc, ut trahas eum ad Dominum, et semper miserearis talibus. *Ep. III.*

Feria secunda. — Beatus homo, qui sustinet proximum suum secundum suam fragilitatem in eo, quod vellet sustineri ab ipso, si in consimili casu esset. *Adm. XVIII.*

Feria tertia. — Non potest cognosci servus Dei, quantam habeat patientiam et humilitatem in se, dum satisfactum est ei. Cum autem venerit tempus, quo illi, qui deberent ei satisfacere

faciunt sibi contrarium, quantam habet ibi patientiam et humilitatem, tantam habet et non plus. *Adm. XIII.*

Feria quarta. — Nec aliquis frater malum faciat vel malum dicat alteri; imo magis per caritatem spiritus voluntarie serviant et obediant invicem. Et haec est vera et sancta obedientia Domini nostri Iesu Christi. *Reg. I. 5.*

Feria quinta. — Habeamus caritatem et humilitatem et faciamus eleemosynas, quia ipsae lavant animas a sordibus peccatorum. *Ep. I.*

Feria sexta. — Qui potestatem iudicandi alios receperunt, iudicium cum misericordia exerceant, sicut ipsi volunt a Domino misericordiam obtinere. *Ep. I.*

Sabbato. — Beatus frater, qui tantum diligeret et timeret fratrem suum, cum esset longe ab ipso, sicuti quando esset cum eo, et non diceret de eo aliquid post illum, quod cum caritate non posset dicere coram ipso. *Adm. XXV.*

DOMINICA XXII
POST PENTECOSTEN
ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Reddite quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo.
Matth. 22, 21

Dominica. — Beatus est, qui non retinet sibi aliquid, reddens, *quae sunt caesaris caesari et quae sunt Dei Deo.* (Matth. 22, 21). *Adm. XI.*

Feria secunda. — Omnia bona Domino Deo altissimo et summo reddamus et omnia bona ipsius esse recognoscamus et de omnibus ei gratias referamus, a quo bona cuncta procedunt. *Reg. I. 17.*

Feria tertia. — Beatus servus, qui omnia bona sua reddit Domino Deo: quia qui sibi aliquid retinuerit *abscondit* in se *pecuniam Domini sui* (Matth. 25, 18.) et quod putat habere, auferetur ab eo. *Adm. XIX.*

Feria quarta. — Peccat homo, qui magis vult recipere a proximo suo, quam non vult dare de se Domino Deo. *Adm. XVII.*

Feria quinta. — De omni eo quod peccator potest, nemo sibi debet iniquo applausu blandiri. Peccator ieiunare potest, orare, plangere carnemque propriam macerare; hoc solum non potest, Domino scilicet suo esse fidelis. In hoc itaque gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus, si fideliter servientes, ipsi, quidquid donat, ascribimus. *S. Bonav. 6, 3.*

Feria sexta. — De omni ligno paradisi poterat comedere Adam, qui dum non venit contra obedientiam non peccavit. Ille comedit de ligno scientiae boni, qui sibi suam voluntatem appropriat et se exaltat de bonis, quae Dominus dicit et operatur in ipso: et sic per suggestionem diaboli et transgressionem mandati factum est ei pomum scientiae mali; unde opportet, quod sustineat poenam. *Adm. II.*

Sabbato. — *Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem* in me ipso *non habeam* et proximis virtutum exempla non monstrem, parum prosum aliis, mihi nihil. *S. Bonav. 9, 4.*

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Ecce mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti eius.
Matth. 9, 20

Dominica. — Rex praepotens duos ad reginam successive nuntios misit. Redit primus, et tantum verba verbis reportat. Siquidem sapientis oculi in capite fuerant nec prosilierant quoquam. Redit alius et post brevia verba quae refert, longam de dominae pulchritudine texit historiam. Vere, domine, vidi pulcherrimam mulierem. Felix qui fruitur. At ille: Serve nequam in sponsam meam oculos impudicos egisti? Liquet, quod emere volueris rem prospectam subtiliter. Iubet revocari primum et ait: Quid tibi de regina videtur? Et ille: Optime quidem, quoniam silenter audivit, respondit sagaciter. Et nihil, inquit, formositatis inest? Tuum, ait, domine mi, sit hoc inspicere; meum fuit verba perferre. Fertur a rege sententia: Tu, inquit, oculis castus esto in camera corpore castior; hic vero exeat domum, ne polluat thalamum. *Cel. II. 113.*

Feria secunda. — Quae sunt religioso cum muliere tractanda negotia, nisi cum sanctam poenitentiam vel melioris vitae consilium religiosa petitione deposcit? Ex nimia securitate minus cavetur hostis, et diabolus, si de suo capillum potest habere in homine, cito excrescere facit in trabem. *S. Bonav. 5, 5.*

Feria tertia. — Multum omnes nos custodiamus et omnia membra nostra munda teneamus quia dicit Dominus: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.* (Matth. 5, 28). *Reg. I. 12.*

Feria quarta. — Omnes fratres, ubicumque sunt vel vadunt, caveant sibi a malo visu et frequentia mulierum, et nullus cum eis consilietur solus. Sacerdotes honeste loquantur cum eis dando penitentiam vel aliquod spirituale consilium. Et nulla penitus mulier ab aliquo fratre recipiatur ad obedientiam, sed dato sibi consilio spirituali, ubi voluerit, agat penitentiam. *Reg. I. 12.*

Feria quinta. — Nequaquam saeculo perfecte renuntiat, qui proprii sensus loculos intra cordis arcana reservat. *S. Bonav. 7, 2.*

Feria sexta. — Praecipio firmiter fratribus universis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum. *Reg. II. 11.*

Sabbato. — Non credatis, carissimi, quod sanctas Christi famulas perfecte non diligam. Si

enim crimen esset eas in Christo fovere, nonne maius fuisset eas Christo iunxisse? Et quidem non eas vocasse nulla fuisset iniuria; non curare vocatas summa est inclementia. Sed exemplum do vobis, *ut quemadmodum ego facio ita et vos faciatis.* Nolo quod aliquis ad visitandum eas spontaneum se offerat; sed invitos et plurimum renitentes iubeo ipsarum servitiis deputari, spirituales dumtaxat viros, digna et longaeva conversatione probatos. *Cel. II. 205.*

DOMINICA ULTIMA POST PENTECOSTEN

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et maiestate.
Matth. 24, 30

Dominica. — Gratias agimus tibi (Deus), quia ipse Filius tuus iterum venturus est in gloria maiestatis suae mittere maledictos, qui poenitentiam non egerunt et te non cognoverunt, in ignem aeternum; et dicere omnibus, qui te cognoverunt et adoraverunt et tibi servierunt in poe-

nitentia: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi* (Matth. 25, 34) *Reg. I. 23.*

Feria secunda. — Omnes illi, qui Deum oblivioni tradunt et a mandatis eius declinant, maledicti sunt et ab eo oblivioni tradentur. Et, cum venerit dies mortis, omnia, *quae putabant habere, auferentur ab eis* (Luc. 8, 18). Et quanto sapientiores et potentiores fuerint in hoc saeculo, tanto maiora tormenta sustinebunt in inferno. *Ep. IV.*

Feria tertia. — O miserorum hominum miseranda vecordia, qui non consideratis nec timetis iudicium Dei! Sed audite quae Dominus per me pauperculum vobis annuntiat: Dominus exaltavit vos super omnes, qui in circuitu vestro sunt, propter quod vicinis benigniores, Deo gratiores existere deberetis: sed ingrati gratiae, manu armata vicinos impetitis, occiditis et vastatis. Dico vobis non relinquentur inultum. Docebit indignatio quos dignatio non instruxit. *Cel. II. 37.*

Feria quarta. — Valete, filii omnes, in timore Dei, et permanete in ipso semper, quoniam futura est super vos tentatio maxima et tribulatio appropinquat. Felices qui in his quae coeperunt perseverabunt. *Cel. I. 108.*

Feria quinta. — Sterilis est frater pauperculus, qui generandi in Ecclesia filios (Cfr. 1. Reg. 2, 5) habet officium; hic pariet in iudicio

plurimos, quia quos nunc privatis orationibus convertit ad Christum suae gloriae tunc ludex ascribet. *S. Bonav. 8, 2.*

Feria sexta. — Non est ob amorem luminis, quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis aeternae repellenda vel modicum, quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accipit. *S. Bonav. 5, 8.*

Sabbato. — Sanctissime *Pater noster:* Creator, Redemptor, Salvator et Consolator noster, *Qui es in caelis:* in angelis et in sanctis, illuminans eos ad cognitionem, quia tu, Domine, lux es; inflammans ad amorem, quia tu, Domine, amor es; inhabitans et implens eos ad beatudinem, quia tu, Domine, summum bonum es, aeternum bonum, a quo omne bonum, sine quo nullum bonum. *Laud.*

DOMINICA I ADVENTUS

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.
Luc. 21, 28

Dominica. — Ego frater parvulus volo sequi vitam et paupertatem altissimi Domini nostri Iesu

Christi et eius sanctissimae Matris et perseverare in ea usque in finem. Et rogo vos, et consilium do vobis, ut in ista sanctissima vita et paupertate remper vivatis. Et custodite vos multum, ne doctrina vel consilio alicuius ab ipsa in perpetuum ullatenus recedatis. *Reg. soror.*

Feria secunda. — Regula et vita minorum fratrum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate. *Reg. II. 1.*

Feria tertia. — Omnes fratres studeant sequi humilitatem et paupertatem Domini nostri Iesu Christi et recordentur, quod nihil aliud opportet nos habere de toto mundo, nisi, sicut dicit apostolus: *habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* (I. Tim. 6, 8.) *Reg. I. 9.*

Feria quarta. — Omnes fratres custodiamus nos multum, ne sub specie alicuius mercedis, vel operis, vel adiutorii perdamus aut tollamus mentem nostram et cor a Domino. *Reg. I. 22.*

Feria quinta. — Moneo et exhortor in Domino Iesu Christo, ut caveant fratres ab omni superbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine huius saeculi, a detractione et murmuratione. *Reg. II. 10.*

Feria sexta. — Attendant, quod super omnia desiderare debent: habere spiritum Domini et

sanctam eius operationem, orare semper ad eum puro corde et habere humilitatem, patientiam in persecutione et infirmitate, et diligere eos, qui nos persequuntur et reprehendunt et arguunt. *Reg. II. 10.*

Sabbato. — Custodiamus nos a sapientia huius mundi et a prudentia carnis: spiritus enim carnis vult et studet multum ad verba habenda, sed parum ad operationem, et quaerit non religionem et sanctitatem interiorem spiritus, sed vult et desiderat religionem et sanctitatem foris apparentem hominibus. Et isti sunt, de quibus dicit Dominus: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* (Matth. 6, 2). *Reg. I. 17.*

DOMINICA II ADVENTUS

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.
Matth. 11, 8

Dominica. — Fratres omnes vestimentis vilibus induantur et possint ea repeciare de saccis et aliis peciis cum benedictione Dei. Quos moneo et exhortor, ne despiciant neque iudicent homines, quos vident mollibus vestimentis et coloratis

indutos, uti cibis et potibus delicatis, sed magis unusquisque iudicet et despiciat semetipsum. *Reg. II. 2.*

Feria secunda. — Fratres ne quaerant caras vestres in hoc saeculo, ut possint habere vestimentum in regno caelorum. *Reg. I. 2.*

Feria tertia. — Adsit fratri nostro vera necessitas, quaevis eum indigentia tangat: si satisfacere properat eamque a se longe repellere, quid mercedis accipiet? *Cel. II. 69.*

Feria quarta. — Non debemus maiorem habere utilitatem et reputare in pecunia et denariis, quam in lapidibus... Caveamus ergo, qui omnia reliquimus, ne pro tam modico, regnum caelorum perdamus. *Reg. I. 8.*

Feria quinta. — Si vis Christi pauperibus iungi, mundi pauperibus tua distribue. *S. Bonav. 7. 3.*

Feria sexta. — Fratres nihil sibi approprient nec domum nec locum nec aliquam rem. Et tanquam peregrini et advenae in hoc saeculo in paupertate et humilitate Domino famulantes vadant pro eleemosyna confidenter, nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos, carissimos fratres meos, heredes et reges regni caelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit.

Haec sit portio vestra, quae perducit in terram viventium. Cui, dilectissimi fratres, totaliter inhaerentes nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Chisti in perpetuum sub caelo habere velitis. *Reg. II. 6.*

Sabbato. — Ubi est paupertas cum laetitia: ibi nec cupiditas, nec avaritia. *Adm. XXVII.*

DOMINICA III ADVENTUS

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Tu quis es?
Ioann. 1, 19

Dominica. — Quantum est homo coram Deo, tantum est et non plus. *Adm. XX.*

Feria secunda. — Nemo laudandus, cuius incertus est exitus. *S. Bonav. 6, 3.*

Feria tertia. — Firmiter sciamus, quia non pertinent ad nos nisi vitia et peccata. *Reg. I. 17.*

Feria quarta. — Servo Dei nulla res displicere debet praeter peccatum. *Adm. XI.*

Feria quinta. — Omnes fratres caveamus ab omni superbia et vana gloria. *Reg. I. 17.*

Feria sexta. — *Fidelis servus et prudens* (Matth. 24, 45) est, qui in omnibus suis offensis non tardat interius punire per contritionem et exterius per confessionem et operis satisfactionem. *Adm. XXIV.*

Sabbato. — Gratias tibi ago, Domine Deus, de omnibus doloribus meis teque, mi Domine, rogo, ut centuplum, si tibi placuerit, addas; quia hoc erit mihi acceptissimum, *ut affligens me dolore, non parcas.* (Iob. 6, 10), cum tuae sanctae voluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena. *S. Bonav. 14, 2.*

DOMINICA IV ADVENTUS

ET INFRA HEBDOMADAM SEQUENTEM

Parate viam Domini.
Luc. 3, 4

Dominica. — Carissimi fratres, Dei Filius nobilior nobis erat, qui pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Suo amore viam paupertatis elegimus, non debemus confundi pro eleemosynis ire. Arrham caelestis haereditatis erubescere nequaquam regni haeredibus convenit. *Cel. II. 74.*

Feria secunda. — Dominus noster Iesus Christus, Filius Dei vivi omnipotentis, *posuit faciem suam ut petram durissimam* (Isai. 50, 7), nec verecundatus fuit, et fuit pauper et hospes et vixit de eleemosynis, ipse et beata Virgo et discipuli eius. *Reg. I. 9.*

Feria tertia. — Beneplacitum est Domino in paupertate, et ea maxime, quae voluntaria pro Christo mendicitas est. Hanc dignitatem regalem, quam pro nobis Dominus Iesus, *egenus factus* (II. Cor. 8, 9), assumpsit, ut sua nos ditaret inopia ac vere pauperes spiritu regni caelorum reges instituerent et heredes, nolo relinquere pro feudo divitiarum falsarum ad horam concesso. *S. Bonav. 7, 7.*

Feria quarta. — Eleemosyna est hereditas et iustitia, quae debetur pauperibus, quam nobis acquisivit Dominus noster Iesus Christus. Et fratres, qui eam acquirendo laborant, magnam mercedem habebunt, et faciunt lucrari et acquirere tribuentes. *Reg. I. 9.*

Feria quinta. — Ite, quoniam hac novissima hora fratres minores commodati sunt mundo, ut electi in eis impleant, unde a Iudice commendentur, illud audientes suavissimum verbum: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* (Matth. 25, 40). *S. Bonav. 7, 8.*

Feria sexta. — Magis nos exempla paupertatis Filii Dei, quam caeteros religiosos, cogere debent. *Cel. II. 61.*

In Vigilia Nativitatis Domini. — Volo illius pueri memoriam agere, qui in Bethlehem natus est; et infantilium necessitatum eius incommoda: quomodo in praesepio reclinatus et quomodo, adstante bove atque asino, supra foenum positus exstitit, utcumque corporeis oculis pervidere. *Cel. I. 84.*

IN NATIVITATE DOMINI

ET INFRA OCTAVAM EIUSDEM FESTI

Natus est vobis hodie Salvator.
Luc. 2, 11

Festo Nativitatis Domini. — Esultate Deo adiutori nostro: iubilate Domino Deo vivo et vero in voce exultationis.

Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.

Quia sanctissimus Pater de caelo, Rex noster, ante saecula misit dilectum Filium suum de alto: et natus fuit de beata Virgine sancta Maria.

Ipse invocabit me: Pater meus es tu: et ego primogenitum ponam illum, excelsum prae regibus terrae.

In illa die mandavit Dominus Deus misericordiam suam: et nocte canticum eius.

Haec est dies, quam fecit Dominus: exultemus et laetemur in ea.

Quia sanctissimus puer dilectus datus est nobis et natus fuit pro nobis in via et positus in praesepio: quia non habebat locum in diversorio.

Gloria in altissimis Domino Deo: et in terra pax hominibus bonae voluntatis.

Laetentur coeli et exultet terra, commoveatur mare et plenitudo eius: gaudebunt campi et omnia quae in eis sunt.

Cantate ei canticum novum: cantate Domino omnis terra.

Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis terribilis est super omnes Deos.

Afferte Domino patriae gentium, afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.

Tollite corpora vestra et baiulate sanctam crucem eius: et sequimini usque in finem sanctissima praecepta eius. *Offic.*

Die 26 Decembris. — Gratias agimus tibi (Deus), quia, sicut per Filium tuum nos creasti, sic et per veram et sanctam dilectionem tuam, qua dilexisti nos, ipsum verum Deum et verum hominem ex gloriosa semper Virgine beatissima sancta Maria nasci fecisti, et per crucem et sanguinem et mortem ipsius nos captivos redimi voluisti. *Reg. I. 23.*

Die 27 Decembris. — Peccas, frater, diem veneris vocans, quo *Puer natus est nobis.* Volo

quod etiam parietes tali die comedant carnes, et si non possunt, vel de foris liniantur..... Si locutus fuero imperatori, supplicabo constitutum fieri generale, ut omnes qui possunt frumenta et grana per vias proiiciant ut die tantae solemnitatis abundent aviculae, praecipuae sorores alaudae. *Cel. II. 199, 200.*

Die 28 Decembris. — Omnes, qui viderunt Dominum Iesum Christum secundum humanitatem et non viderunt neque crediderunt secundum spiritum et divinitatem, ipsum esse verum Filium Dei, damnati sunt. *Adm. I.*

Die 29 Decembris. — *Filii hominum, usquequo gravi corde?* (Ps. 4, 3.) ut quid non cognoscitis veritatem et *creditis in Filium Dei?* (Ioan. 9, 35.) Ecce, quotidie humiliat se, sicut quando a *regalibus sedibus* (Sap. 18, 15.) venit in uterum Virginis: quotidie venit ad nos ipse humilis apparens: quotidie descendit de sinu Patris super altare in manibus sacerdotis. *Adm. I.*

Die 30 Decembris. — Diligamus Deum et adoremus eum puro corde et pura mente, quia ipse super omnia quaerens hoc dicit: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* (Io 4, 23). Omnes enim, *qui adorant eum, in spiritu veritatis oportet eum adorare* (Io. 4, 24).

Et dicamus ei laudes et orationes die ac nocte dicendo: « Pater noster, qui es in caelis », quia *opportet nos semper orare et non deficere* (Luc. 18, 1). *Ep. I.*

Die 31 Decembris. — Benedicamus Domino Deo vivo et vero: laudem, gloriam, honorem, benedictionem et omnia bona referamus ei semper. Amen. Amen. Fiat. Fiat. *Offic.*

PRO DIEBUS ALIQUIBUS FESTIVIS PER ANNUM

In Annuntiatione B. Mariae Virginis

(Die 25 Martii)

Dominum nostrum Iesum Christum, istud Verbum Patris tam dignum, tam sanctum et gloriosum nuntiavit altissimus Pater de caelo venturum per sanctum Gabrielem archangelum suum sanctae et gloriosae Virgini Maria, ex cuius utero veram recipit carnem humanitatis et fragilitatis nostrae. Qui *cum dives* esset (II. Cor. 8, 9) super omnia, voluit tamen ipse cum beatissima Matre sua eligere paupertatem. *Ep. I.*

Ss. Apostolorum Petri et Pauli

(Die 29 Iunii)

Si beati Petrus et Paulus pro nobis cotidie orant, dignum est, ut et nos ipsos quotidiana reverentia habeamus. *Bessa 3.*

In Dedicatione S. Mariae Angelorum

(Die 2 Augusti)

Locus iste vere sanctus est et habitatio Dei... Hic qui oraverit corde devoto, quod petierit obtinebit, et offendens gravius punietur. Propterea, filii, omni honore dignum habete locum habitaculi Dei, et in toto corde vestro, *in voce exultationis et confessionis* ibi *confitemini Deo* (Psalm. 41, 5 et 135, 2, 26) *Cel. I. 106.*

In Nativitate B. Mariae Virginis

(Die 8 Septembris)

Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo in mulieribus, filia et ancilla altissimi Regis Patris caelestis, mater sanctissimi Domini nostri Iesu Christi, sponsa Spiritus sancti; ora pro nobis cum sancto Michaele archangelo et omnibus virtutibus caelorum et omnibus sanctis apud tuum sanctissimum dilectum Filium, Dominum nostrum et Magistrum. *Offic.*

Festo S. Patris Francisci

(Die 4 Octobris)

Ecce ego vocor a Deo. Fili, fratribus meis tam absentibus quam praesentibus offensas omnes et culpas remitto, et eos, sicut possum, absolvo; quibus tu haec denuntians, ex parte mea omnibus benedices. *Cel. I. 109.*

Festo Omnium Sanctorum

(De 1 Novembris)

Quia omnes nos miseri et peccatores non sumus digni nominare te (Domine Deus), suppliciter exoramus, ut Dominus noster Iesus Cristus Filius tuus dilectus, *in quo tibi bene complacuit* (Matth. 17, 5), una cum Spiritu sancto Paracleto gratias agat tibi, sicut tibi et ipsis placet, pro omnibus, qui tibi semper sufficit ad omnia, per quem nobis tanta fecisti. Alleluia. Et gloriosam matrem beatissimam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem, Gabrielem, Raphaelem et omnes choros beatorum spirituum, seraphim, cherubim et thronorum, dominationum, principatuum et potestatum, virtutum, angelorum, archangelorum, B. Ioannem Baptistam, Ioannem evangelistam, Petrum, Paulum et beatos patriarchas, Innocentes, apostolos, evangelistas, discipulos, martyres, confessores, virgines, beatos Eliam et Enoch et omnes sanctos, qui fuerunt et erunt et sunt, propter tuum amorem humiliter deprecamur, ut, sicut tibi placet, pro his tibi gratias referant summo vero Deo, aeterno et vivo, cum Filio tuo carissimo Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto Paracleto in saecula saeculorum. Amen. Alleluia. *Reg. I. 23.*

Omnium Sanctorum Ordinis Seraphici

(Die 29 Novembris)

Magna verecundia est nobis, servis Dei, quod sancti fecerunt opera, et nos recitando et praedicando ea, volumus inde recipere honorem et gloriam. *Adm. VI.*

In Conceptione Immaculata B. Mariae Virg.

(Die 8 Decembris)

Ave domina sancta, regina sanctissima, Dei genetrix Maria, quae es Virgo perpetua, electa a sanctissimo Patre de caelo, quam consecravit cum sanctissimo dilecto Filio et Spiritu Paracleto, in qua fuit et est omnis plenitudo gratiae et omne bonum. Ave palatium eius. Ave tabernaculum eius. Ave domus eius. Ave vestimentum eius. Ave ancilla eius. Ave mater eius. *Salut. B. Virg.*

INDEX

PAG.

Incipiamus servire Deo. *In Circumcisione Domini* . . 1

Sanctificetur Nomen tuum. *Ss. Nominis Iesu* . . . 2

De honore Deo debito. *In Epiphania Domini* . . . 3

Paupertas vitiosalutis est. *Dominica I post Epiphaniam* 6

Quomodo superioribus obediendum. *Dominica II post Epiphaniam* 8

De humilitatis praestantia. *Dominica III post Epiphaniam* 9

Habeamus corpora nostra in despectum. *Dominica IV post Epiphaniam* 11

De scandali malitia. *Dominica V post Epiphaniam*. . 13

Quomodo fraternitas nostra incrementum accipiet. *Dominica VI post Epiphaniam* 15

Laborent fideliter. *Dominica in Septuagesima* . . . 18

De predicationis officio. *Dominica in Sexagesima* . . 21

In mundanis vana laetitia. *Dominica in Quinquagesima* 23

Debemus ieiunare. *Feria IV Cinerum*. 24

De tentationibus. *Dominica I in Quadragesima* . . 25

Secreta Dei bene custodienda. *Dominica II Quadragesimae* 26

Detractores latronibus peiores. *Dominica III Quadragesimae* 28

Contriti et confessi sumant Corpus Christi. *Dominica IV Quadragesimae* 30

Fratres vivant catholice. *Dominica de Passione* . . 32

Iesus Salvator mundi. *Dominica in Palmis* . . . 34

PAG.

Christo cánamus gloriam. *Dominica Resurrectionis* . . 37

Annuntiate pacem. *Dominica tn Albis* 40

Superiores boni subditorum pastores. *Dominica II post Pascha* 41

Caveamus tristitiam. *Dominica III post Pascha* . . 45

Confiteamur peccata nostra. *Dominica IV post Pascha* . 46

Quomodo orandum. *Dominica V post Pascha* . . . 49

Ascendamus cum Christo. *In Ascensione Domini* . . 50

Spiritus Dei habitet in nobis. *Dominica Pentecostes* . . 52

Trinitati sit gloria. *Dominica Ss. Trinitatis* . . . 55

De laude Ss.mi Sacramenti. *Festo Corporis Christi* . . 57

Adveniat regnum tuum. *Sacratissimi Cordis Iesu* . . 59

Peccatores ne despiciantur. *Dominica III post Pentecosten* 60

De sacerdotum dignitate. *Dominica IV post Pentecosten* 62

Inimicos diligere debemus. *Dominica V post Pentecosten* 64

Sacramento Altaris honor debetur. *Dominica VI post Pentecosten* . . . . . 6·

Nunquam cessent benefacere. *Dominica VII post Pentecosten* 68

De bonis terrestribus non desiderandis. *Dominica VIII post Pontecosten* 70

Pecunia spernenda est, *Dominica 1X post Pentecosten* . 71

Humiliter de seipso sentiendum. *Dominica X post Pentecosten* 73

De recta locutione. *Dominica XI post Pentecosten* . . 74

Fratres diligant se ad invicem. *Dominica XII post Pentecosten.* 76

De reverentia clero debita. *Dominica XIII post Pentecosten* 78

De providentia divina. *Dominica XIV post Pentecosten* . 80

Appropinquat dies mortis. *Dominica XV post Pentecosten* 82

In praelatione casus. *Dominica XVI post Pentecosten* . 85

Diligamus Deum. *Dominica XVII post Pentecosten* . . 87

PAG.

Infirmitas patienter est sustinenda. *Dominica XVIII post Pentecosten* 89
Perseverate usque in finem. *Dominica XIX post Pentecosten* 90
Speculum obedientiae. *Dominica XX post Pentecosten* . 92
Diligamus proximum. *Dominica XXI post Pentecosten* . 94
Omnia Deo reddantur. *Dominica XXII post Pentecosten.* 96
De consortio mulierum vitando. *Dominica XXIII post Pentecosten* 98
De tremendo Dei iudicio. *Dominica ultima post Pentecosten* 100
Semita perfectionis. *Dominica I Adventus* 102
De paupertate religiosa. *Dominica II Adventus* . . 104
Quantum homo valeat? *Dominica III Adventus* . . 106
Christus imago pauperum. *Dominica IV Adventus* . . 107
De divino Infante. *In Nativitate Domini* 109

Pro diebus aliquibus festivis per annum:

In Annuntiatione B. M. V. 112
Ss. Apostolorum Petri et Pauli 112
. . dedicatione S. Mariae Angelorum 113
In Nativitate B. M. V. 113
Festo S. P. Francisci 113
Omnium Sanctorum 114
Omnium Sanctorum Ordinis Seraphici 115
In Conceptione Immaculata B. M. V. 115

922.2245
F 818-4

Monay, Francis Ed.

AUTHOR

Sententiae seraphicae e verbis et scriptis Santi Pi Francisci Assisiensis pro singulis anni diebus dispositae

DATE DUE	BORROWER'S NAME

922.2245
F 818-4

5259

PREZZO L. 6,—

LIBRERIA ANTIQUARIA ECCLESIASTICA
F. LESTINI
— ROMA —
VIA DELLA PALOMBELLA 24-25